20.

DISPUTATIO INAUGURALIS
De,

FALLACIBUS INDICIIS MAGIÆ,

Qvam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORVSSIAE AC ELECTORATVS
BRANDENBVRGICI HEREDE,
&c. &c. &c.
In Illustri Fridericiana
Ex Decreto & Authoritate inclytæ Facultatis Juridicæ,
PRAESIDE
DN. HENRICO BODINO,
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS BORUSS.
CONSILIARIO ECCLESIASTICO IN DUCATU MAGDEBURGENSI, PROFESSORE JURIS ORDINARIO ET FACULT. JURIDICÆ h. t.
DECANO,
PATRONO AC PROMOTORE SVO ÆTATEM DEVENERANDO,
PRO LICENTIA
Summos in utroque Jure Honores & Privilegia rite capessendi
Die XXII. Octobris A. C. M. DCCI. horis ante & pomeridianis
IN AVDITORIO MAJORI,
Placidæ Eruditorum disquisitioni submittit
FELIX MARTINUS Brähm/
Hilperhusa Francus.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Literis Christiani Henckelii, Acad. Typogr.

Witchcraft Collection.

~~7440 B785~~

A.118645

BK

Q. D. B. V.

§. I.

COmmunis ſemper perſvaſio tam inter Judæos & Gentiles, quam etiam Chriſtianos hæſit, dari magos & lamias, h. e. tales perſonas, quæ pacto cum Diabolo fœdere, vi ejusdem opeque Diaboli aliis ultra ordinarias vires naturæ damna inferre, morbos præternaturales excitare, choreas cum Dæmonibus ducere, ſe ipſum & alios in beſtias transmutare & ſexcenta alia ludibria perpetrare creduntur. Teſtantur de communi hac ſententia totius ferè orbis tot ſcriptores, qui de *Sagis earumque pœnis* ſat ſpiſſa conſignarunt volumina, uti ex Gallia *Bodinus de dæmonologia*, ex Anglia ipſe *Rex Jacobus I.* ex Belgio *Del-Rio*, ex Germanis *Godelmannus*, *Thummius*, Cruſius, Friderus Mindanus. &c. aliiq; ſpecialibus tractatibus notiſſimi ſunt; Imò Pontifices Romani, pro ſua dominandi lubidine, occaſionem inde arripuerunt, peculiare tribunal Inquiſitionis contra Sagas etiam in ipſa Germania erigendi. De qua re nos non ſinit dubitare Bulla Innocentii VIII. Henrico Inſtitori & Jacobo Sprengero conceſſa A. 1484. qua poteſtatem ipſis facit inquirendi in Lamias & Sagas in terris Teutonicis inventas. Invenitur hæc Bul-

Communis opinio de exiſtentia Sagarum.

Origo Proceſſus Inquiſitorii contra Sagas,

Bulla in *Lib. 7. Decret. Tit. de Malefic. & Incantator.* & teſtantur hi inquiſitores in malleo maleficorum, ita ab iis appellato libro, ſe non minus promptos fuiſſe in cremando vetulas, quam Papa in mandando; Hanc praxin hodiè vigere apud Pontificios & fat craſſè ejusmodi inquiſitiones exerceri teſtatur & conqueritur ſimul Anonymus *Autor Cautionis Criminalis in proceſſu contra Sagas*, qui liber dignus eſt, ut à quovis Judice Sagas punire cupiente magna cum cura legatur.

§. II.

Communis illa opinio quo tempore maximè oppugnata ſit?

Quamvis autem vulgo ita exiſtimetur; attamen ex quo Carteſiana aliaque ſana philoſophia caput erexit, & per Europam ſuos applauſores invenit & ex his *Principiis* cauſæ rerum, exiſtentia, motus, figura, &c. accuratius conſiderata ſunt, de exiſtentia talium Magorum & Lamiarum valde dubitari nedum explodi incepit, conf. Dn. Thomaſ. *in Tentam. de Spiritu p. 119.* Equidem jam anteà de lamiis dubitaſſe feruntur *Franciſcus Ponzinibius*, JCtus Italus, tum & Wierus *in tr. de præſtig. Dæmonum.* Imò circa initium ſeculi præcedentis *Reginaldus Scottus*, Nobilis Anglus, libro lingua vernacula ſub titulo *detectionis artis magicæ* edito, omnem magiam impugnavit, ſeriò contendens deliras anus ſemet veneficas credere, & ſomnia ſua poſtea æquè imprudentibus Judicibus cum eorundem magna admiratione (ignorantiæ filia) terrore equulei adactas recenſere.

§. III.

B. Beckeri mundus faſcinatus quid contineat?

Verùm inter hos uti inter ſtellas luna minores enituit Theologus Amſtelodamenſis *Balthaſar Beckerus*, vir in philoſophia corpuſculari & mechanica, tum & in Matheſi verſatiſſimus. Hic edito primùm libro lingua vernacula ſub *Tit.* de Betoverede Wereld/poſtea in linguam latinam, Gallicam, Anglicã translato, omni niſu contendit, qui probet non ſolũ ex principiis, quibus imbutus eſt, ſed & ex S. Scriptura, Ratione (præjudiciis non occupata) omnium hominum, non verſari diabolum in his terris, pactum cum ipſo eſſe mera ludibria phantaſiæ aut figmen-

menta malitiæ, ſpectra in papatu excogitata ſuiſſe ad purgatorii ignes caleſaciendos & loculos ſacerdotum augendos, inquiſitiones & vivicomburia Magorum avaritiæ & crudelitati Cleri originem debere, quò ſcilicet poſtea concrematorum bona fiſco ſubjiciantur, vel uti patet ex praxi multorum locorum inquiſitorum ſalario cedant. Melchior. Goldaſti **Bedencken von** Confiſcation **der Zauberer und Hexen Güter.**

§. IV.

Judicium de iſto autore.

Quod ſi vero liber iſte, qui tanto cum applauſu, uti fieri ſolet in defenſione paradoxorum, exceptus eſt, penitius inſpiciatur, fatendum eſt cum Dn. Thomaſ. *in Diſſert. ad Poiret. p. 38. ſeqq.* virum aliàs doctiſſimum, & inculpatæ, quamdiu vixit, vitæ, principiis philoſophiæ, quam excoluit, in devia abreptum eſſe, & cum abuſum, h. e. ſuperſtitionem & nimiam credulitatem taxare debuiſſet, maluiſſe rem omnem auferre. Inde factum citra dubium, ut tot contradicentes expertus ſit, qui tamen an omnes æque feliciter ei ſatisfecerint, & ex hypotheſibus domeſticis, quod par eſt, eum oppugnaverint, penes lectorem horum ſcriptorum eſto judicium. Qui mihi innotuerunt, ſunt ex ipſius conterraneis *P. Poirettus, Jean van de Weyen, Andr. Beverland.* Peculiarem etiam diſſertationem ei oppoſuit Celeb. Leydeckerus. Inter Anglos maximè eum confutare annixus eſt Glanvill. *in Sadduceiſm. triumph.* Ex noſtratibus Beerns *tres libros ſub Tit.* **der dreyfachen Welt** & Petr. Goldſchmid **den hölliſchen** *Morpheus* contrà Beckerum ediderunt, Pfeifferi, Theologi Lubecenſis *tract.* **Streit des Fleiſches und des Geiſtes** *in append. &c.* pluresq; alii, quorum labores hic lubens ſilentio prætereo.

Beckeri Antagoniſtæ

§. V.

Citra dubium etiam Beckerus & alii, qui exiſtentiam *Rationes*

cur mentio istius libri sit facta.

Sagarum in dubium vocant, ad id moti sunt nimis frivolis & fallacibus indiciis, quæ à nonnullis JCtis ad crimen Magiæ probandum, una cum infinitis fabulis & incredibilibus narrationibus, tanquã ex tripode solent aefrri. Nam illud apud cordatiores JCtorum nostratium extra dubium positũ arbitror, multa pro indiciis Magiæ venditari, à Del-Rione, Remigio, Bodino, Malleo Malefic. Chirlando, Fridero Mindano & aliis, quæ superstitionem papalem sapiunt, & tanquã putida commenta ac fabulæ meritò explodendæ sunt. Dolendum etiam, quod talia quoq; irrepserint in Berlichii & Carpzovii, Crusii aliorumque opera, qui de magis scripsere. Cum enim crimen Magiæ omnium confessione probatu & dijudicatu difficillimum sit, imprimis cavendum erit, ne circa indicia ejusdem præjudiciis & aliorum autoritate tantum nitamur, & cæcus à cæco ducatur; sed ut sequestratis hisce mentis seductoribus juxta regulas sanæ rationis rem illam examinemus & an indicia illa demonstrent, quod demonstrare debeant, ponderemus.

Lectio operis Beckeriani commendatur.

Eum in finem nullus dubito, quin auctor suasorque sim alicui, Bekkeri mundum fascinatum diligenter evolvere, non ea intentione ut cum ipso præcipitanter nimis in alterũ extremum impingat, & omnem magiam explodat, sed ut dubiis in illo libro formatis utatur ad Doctorum placita & assertа, tum & historias de Magis eo cautius & majori examine perpendenda. Nam dubitatio sternit viam ad prudentiam. Nullum enim est dubium, talem viam ingressum mox multorum nimiam facilitatem ac credulitatem in cumulandis indiciis detecturum esse. Quod ut clarius pateat, falsitatem potiorum indiciorum, quæ allata sunt ad probandum crimen Magiæ, nunc ordine exposituri sumus.

§. VI.

Confusio Dd.

Sunt autem indicia nihil aliud quam ejusmodi signa

ex

ex quibus certa oritur præsumtio, ut si quis tale quid removere non possit, illum circa crimen imputatum innocentem non esse. vid. *Ord. Crim. Car. V. art. 28. 30. junct. art. 23. it. 47.* Hinc magni præjudicii est illa inquisitio indiciorum. Nam & inquisitio, licet veritatem detexerit, tamen inepta est & nulla, si sine præviis legitimis indiciis instituta sit, uti hoc clarum ex *art. 20. Ord. Crim.* vid. *Just. Oldekopp. Cautel. Criminal. Tit. 2. obs. 8.* Merito vero conqueritur *Ericus Mauritius Diss. de denunc. Sagar. cap. 3. §. 4.* quòd communiter confusissima ratione tractent talia indicia circa crimẽ magiæ, sæpiusq; veris falsa misceant, quæ planè ad hoc nõ concludunt, nec in classes suas singula distinguant, cum alia ad inquisitionem specialem, alia ad capturã & incarcerationẽ, alia ad torturam requirantur, a quibus omnibus ipsa criminis probatio admodum differt. Inde gravi errore à Judicibus levia indicia vix ad inquisitionem specialem idonea pro sufficientibus ad torturã, imo ad condemnandum creduntur. Illa vero indicia, quæ in præsenti Dissertatione fallaciæ insimulabuntur, neque ad capturam, neque ad torturam, multo minus ad condemnationem & vivicomburium sufficere, abunde sumus demonstraturi. *circà Magiæ indicia.*

§. VII.

Magnum indicium vulgo reputatur, *fama de maleficio*, tum & *suspecti fuga.* Verum utrumque si ita crude accipiatur, fallax indicium præbere potest. Nam quod (1) attinet famam, v. c. Titiam omnium ore pro saga reputari, inquirendum est, unde orta sit illa fama, nam fama in tonstrina, stabulo aut mulierc ularum circulis apud colum & fusam it. **von Land-Predigern und alten Weibern/ Backöffen und Brauhäusern** natam, famæ nomen non meretur, sed rumoris vagi, incerti & contemnendi, vid. *cap. super eo quod postulas X. d. eo qui cogn. consangu. uxor. L. 12. C. de pœnis.* B. Dn. Ericum Mauritium *Part. I. Consil. Chilon. 23. numer.* *Fallax indicium famæ & fugæ.*

mer. 38. Tabor *in Analyſ. ad Art. 25. Ordin. Crimin. Carolin. §. 13.* Ad famam igitur requiritur, ſi quidem effectus juris operari debeat, ut profecta ſit à viris honeſtis & gravibus, non ab inimicis, *cap. 19. X. de accuſat. art. 25. Ord. Crim. Car.* ibique Manzius, *Cothman. volum. 1. Reſp. 12.* præterea debet conſtare de fama ante motam inquiſitionem orta. Conf. Ill. Dn. Stryck. *de Jure Senſuum Diſp. 3. c. 4. n. 13.* Notandum autem quòd licet fama omnia requiſita à Doctor. notata habeat, tamen per ſe non facit indicium, cum lubrica & fallax ſit, ſed tantum alia indicia concomitando corroboret. vid. *art. 25. Conſtit. Crim. Cap. 2.* ibiq; Matth. Stephani. Ad (2) de fuga quod attinet, non mox ut magiæ dedita ad torturam rapienda eſt, quæ tempore moti formalis proceſſus contra ſagas in genere auffugit: **Denn es pflegt bey den** formalen Inquiſitions **und Hexen** Proceſſen **ſo wunderlich und** irregulär **herzugehen/ daß keine alte Frau auff dem Lande offt ſicher iſt /** vid. Aut. *Caut. Criminal. paſſim.* Hinc recte Carpzovius *Pract. Crimin. Part. 3. qu. 120. numer. 168.* poſt Gailium, Zangerum, Cothmannum, Bocerum, Hippolitum de Marſiliis, aſſerit, fugam ſæpius fieri ex juſto timore, vel ſuſpicione vehementi, quod nimirum aliquis in vincula conjiciendus ſit, aut alio modo vexationes pati debeat. Nam injuſtis Judicibus mille modi ſuppeditantur, etiam illos, quorum innocentia haud raro ſole meridiano clarior eſt, acerbius vexandi. Conf. etiam Theod. Reinking. *in Reſponſ. Jur. de proceſſu cont. ſagas paſſim.*

§. VIII.

Fallacia indicii quod ſaga ſagam videri t **auffm Blocksberg.**

Prodeat nunc indicium, quæ tot Doctor. calculum & applauſum, quaſi genuinum & omni exceptione majus invenit. Eſto illud, ſi veneficii & magiæ convicta in equuleo confiteatur ſe Semproniam vidiſſe in monte Bructerorum, ibi inter fuiſſe choreis & aliis epulis à Diabolo præparatis.

Hac

Hac confessione audita, mirum dictu quã soleant haud pauci Judicum veloces esse non solũ in apprehendenda diffamata Titia, sed etiam, si sponte confiteri nolit, torturæ eam subjicienda. Et sane horum judicum crudelis præcipitantia non leviter adjuvatur multorum Doctorum calculo, existimantium hanc nominationem & confessionem veneficæ plenè contra alias Sagas probare, ita ut hæ, sine ulteriori inquisitione & tortura ad ignem condemnari possint vid. Bodinus *de Dæmonom Lib. 4. c. 2.* ad praxin Parisiensem provocans. Alii tamen mitiores sunt, & admittunt tantum, quod hoc in casu ex confessione veneficæ contra alias lamias possit procedi ad torturam. vid. latè Joh. Zang. *tract. de tortura c. 2. num. 194.* Berlich. postquã *Concl. pract. P. IV. Concl. 4. num. 113. seqq.* dissentientes hic authores recensuit, distinguendum putat, an saga alias nominet sponte, an in tormentis? priori casu esse tantum indicium ad inquisitionem, posteriori ad torturam.

§. IX.

Equidem potest tolerari hæc sententia Berlichii, si concurrant requisita, quæ in Const. *Crim. Carol. V. art. 31. §. 1. seqq.* recensentur, nimirum si nominatio (1) non fiat ex suggestione (2) si magus possit nominari cum circumstantiis, ubi socius fuit, (3) non fiat ex inimicitia (4) nominatus alias gravatus sit (5) nominans juramento hoc confirmet. Quando autem Berlichius *loc. alleg. num. 118.* adjicit, procedere hoc, quando quis nominat alios ideo, quia eos in cœtibus publicis & congregationibus universalibus vidit, hæc limitatio merito discutienda est. *Berlichii sententia circa hoc indicium expenditur.*

§. X.

Scilicet præsupponit haud dubie Berlichius & infiniti alii cum ipso, sagas & Magos à Diabolo corporaliter transferri certo tempore in unum locum, ibi choreas & alia de- *Refutatur Berlich. & commun. o-*

pinio de conventibus diabolicis in montibus.

lectamenta quærere, atque sic unam lamiam de reliquis testimonium ferre posse, licet alias nunquam eam viderit. Vulgo dicitur hunc conventum diabolicum fieri in monte Bructerorum, Germ. **Blocksberg** noctu Calend. Maji. Verũ putidum hoc esse commentum & fabulas aniles, similes Virgilianis de iis quæ in campis Elysiis geruntur, major pars Theologorum, JCtorum, Medicorum & Philosophorum meritò statuit apud Carpzovium *Prax. Crim. Part. 1. quæst. 48. numer. 22. 23. seqq.* Hinc Joh. Fichardus *Tom. 2. Cons. 3. num. 3.* ejusmodi transvectiones cum omnibus suis solennitatibus vocat **lauter Träum / Gespenst / Triegerey / unglaubliche unmögliche Dinge.** Conf. Alciat. *Lib. 8. parerg. cap. 22.* Wierus *Lib. 3. de præst. Dæmon. c. 11.* Philipp. Camerar. *Hor. ær. succis. cap. 72.* Equidem forte argumentum peti posse videtur ad transvectionem istam asserendam abipsa lamiarum confessione: Verum videtur hoc argumentum stringere, revera non stringit. Multa videntur & non sunt. Ipsæ sagæ fallunt & falluntur. Phantasia ipsorum sive melancholicis humoribus sive etiam astutia diaboli corrupta est, ut credant se illas videre, quas minime vident. Theodor. Reinking. *in Respons. Jur. in Proc. cont. Sagas. cap. 1. n. 99. seqq.* Solide hoc confirmat Illustr. Dn. Stryck. *tr. de jure sens. proœm. num. 52.* verba ejus elegantissima ita se habent: *Pari modo confessionibus Sagarum non facile fidem adhibebit Judex, si de aliis ejusdem delicti complicibus confiteatur. Quis enim non novit, quot innocentissimæ fœminæ in inquisitionem, imo ad torturam quoque raptæ & nimium quantum excruciatæ, hoc fere solo indicio quod aliæ sagæ de his confessæ fuerint, quasi easdem in famoso illo Bructerorum monte, Germanis* der **Blocksberg** *cũ Satana Saltantes, epulantes & luxuriantes viderint. Ego verò ne à materia sensuum aberrem, ex hac sola ratione principali asserere non vereor, confessionem Sagæ, sive in sive extra torturam factam, quod hanc vel illam in monte Bructerorum viderit, si alia de-*

deficiant, non esse sufficiens indicium ad inquisitionem specialem, nedum ad torturam: quia confitens saga non potest rationem sui dicti reddere ex sensu corporeo. Ex hisce rationibus Illustris Viri abunde patet, gravissimis peccatis semet adstringere Judices criminales, si tam fallacibus indiciis freti, miseras mulierculas non solum ad specialem inquisitionem, sed haud raro ad torturam rapiant. vide sis *Excell. Dn. Præsid. eleg. Diss. de usu & abusu torturæ. §. 2.*

§. XI.

Vanitas denunciationis sagarum judicio Dn. Spener. comprobata.

Quid de vanitate denunciationum à Sagis factarum judicet incomparabilis & de Ecclesia Evangelica meritissimus omnium proborum calculo Theologus Vener. Dn. Spenerus in Theologischen Bedencken. *Part. 1. cap. 2. art. 6. sect. 13. p. 228.* adduci huc meretur, præsertim cum præsentem disquisitionem egregie illustret. Verba autem ita se habent: Ich halte das Laster der Zauberey/ obwohln von sich selbsten eines der erschrecklichsten / hingegen auch der Art zu seyn/ daß man die gröste Vorsichtigkeit gegen die dessen verdächtige zugebrauchen nöthig habe. Es ist der Erweiß desselben/wo nicht vergifftungen und andere würckliche Mißhandelungen/ davon ein Corpus delicti gezeuget werden kan/ darzukommen/ wohl der allerschwerste. Und zwar sehe ich nicht/ wie der Bekäntnüssen anderer Beschuldigten / es sey nun auff tortur oder freywillig gethan/ sicherer Glauben zugestellet werden könne. Denn es ist die Bekeñende oder Angeberin selbst schuldig od' unschuldig; ist dieses letzte/sehe ich nicht/woraus dieselbe eine andere schuldig machen könte/als die ja in denen Teuffelischen Versamlungen nie gewesē/es wäre dañ Sache/daß Sie von einer andern hätte wollen zu dergl. Boßheit verführet werden. Ist aber das Angeben von einer warē Zaubererin geschehen/begreiffe abermahln nicht / wie dieselbe / als eine Sclavin des Lügen-Geistes/ wolte von andern Glauben verdienen:

Und solte nicht zusorgen seyn/ daß allerdings des Teuffels Freude diese seyn werde/ unschuldige Leute aus Haß in Unglück oder gar Lebensgefahr zu bringen/ und dahin seine eigene Werckzeuge zu verleiten/ ja gar auff ihren Zusammenkünfften Gestalten Christlicher Personen zu præpresentiren / als wären sie unter ihnen / also daß diese es selbst glauben / sie wären mit denenselben umgegangen / da jene ferne davon gewesen ? auffs wenigste ist solches der Arth des Lügners und Mörders nicht ungemäß. Daher ich sorge/ sonderlich wo es anfänget auff förmliche Hexen-Inquisitiones und Brennen auszulauffen/ welches so bald geschiehet/ als man dergleichen denuntiationibus schlechterdings glauben zustellet / daß alsdenn sehr viel unschuldige/ weil sie nachmahlen der Folter Pein zu falschen Bekäntnüß bringt/ verbrant worden. Wie ich mich von mehren exempeln an einen Ort an den Rheinstrohm/ da das Hexenbrennen überhand nahm / versichert halte/ daß viel unschuldig gestorben : Wie unter andern eine junge Braut/ noch vorigen Tag / ehe sie sterben muste / ihrem Bräutigam ihre Unschuld bezeugte/ und freudig an den Todt gieng/ eine von solchen Laster reine Seele ihrem Heylande dar zu bringen: wolte auch nicht/ daß Ers der Obrigkeit anzeigen solte/ daß Sie nichts anders als nochmahlige Folter / und dennoch den Tod / weilen Sie die Folter nicht aushalten könte/ zu erwarten hätte: Ein anderer bekante seinem Sohn / einem Studioso Theologiæ, der meines ermessens noch ietzt in Amt stehen wird/ nicht weniger seine Unschuld in solcher Sache/ mit Beysatz / daß Er vor GOTT nicht unschuldig litte/ als der den Tod mit einen andern Laster der Blutschande (davon sonsten niemand wuste) verschuldet hätte. Dabey mich erinnere/ daß ein in den Reich seiner Klugheit uñ Regierung halber sehr berühmt gewesener großer Reichs-Fürst (L. J. P. V. M.) eine Historie erzehlet von einem/ auff

den

den bald bey Anfang seiner Regierung über ein gewisses factum der Zauberey wegen solche indicia gebracht worden/ daß ich bekenne ihn selbst fast vor überzeügt aus denselben gehalten hätte/ und doch nachmahls seine Unschuld heraus kommen ist/ daher Er sich vorgenommen/ zeit seiner gantzen Regierung keine Hexen-Inquisitiones anzustellen/ noch etwas gewaltsames wieder solches Laster vorzunehmen/ so lange Gott nicht selbst dasselbe also offenbahrte/ daß gantz unbetrügliche Erweißthümer gegen die schuldige vorhanden wären. Welches ich von einem vornehmen Mann/ solcher aber es aus den Munde des Fürsten selbsten her hatte. Dahero nicht in Abrede bin/ wo ich ein Juriste gewesen/ und in einen Ambt gestanden/ daß wenn es an eine Hexen-Inquisition gegangen wäre/ ich lieber dasselbe resigniret haben würde/ als einen solchen Proceß als Richter beyzuwohnen / Wo man andere probationes, alß solche die nicht triegen können/ darvor ich die angegebene und abgezwungene Bekändnüß nicht halte/ zum Grunde der Urtheile gegen arme Leute hätte legen wollen. Hactenus modo laudatus Theologus cujus judicium moderatum, solidum & evidens &c.

§. XII.

Idem dicendum est, si saga de alia persona confiteatur, se vidisse illam mutatam esse in lupum, canem, felem, murem &c. Nã omnib9 ejusmodi testimoniis nulla fides adhibenda est, quia misera lamia ipsa decipitur glaucomate oculis ipsius objecto à Satana, ut talpa cœcior in his rebus sit: Testatur enim Illustr. Dn. Stryk. *de Jure Sens. alleg. loc. n. 50.* se ex actis ad facultatem juridicam Francofurt. transmissis sæpius observasse, quod sagæ homicidium & alia maleficia

Fallax inditium petitur a testimonio transmutationis in lupum, felem &c.

confessæ fuerint, sed ubi defuncti infantis parentes super præfatis circumstantiis interrogati fuere, respondérunt ipsi, solita quadam febricula filium decessisse. Similem casum adducit B. Brunnem. *Processf. Inquisit. cap. 8. membr. 5. n. 72.* Graviter hoc confirmat Reinking. *in Respons. de Sag. qv. 2. n. 270.* nihil, inquit, tali assertioni Sagarum, (ex præsuppositio confitentem talem esse) quarum oculi fascinantur à Diabolo, credendum est, cum talia dicta procedant à Dæmone, qui per deceptos homines alios decipere gestit. *Can. qui sine Salvatore 26. quæst. 2.* Conf. Tannerus *Tom. 3. Disp. 4. de Just. quæst. 5. dub. 2.* Aut. *Caut. Crimin. dub. 44. seqq.* **Lerchheimer in Christl. Bedencken von Zaubern.** *art. 17. p. 202. usque 208.* Castro Palao *Op. moral. Tom. 4. tr. 4. disputat. 9. punct. 16. §. 5. n. 2.* Unde certè evidentissimè patet, quodsi sagæ a Satana ludificari possint quoad propria facta, multo magis quoad aliena. Præsertim cum tota hæc narratio de transmutatione hominis in bestias quadrupedes, aniles fabellas sapiat & cum exemplis metamorphoseos Ovidii pari passu ambulet. Prodit igitur nimiam suam credulitatem & superstitionem Joh. Bodinus *de dæmonoman. lib. 2. c. 6.* quando has fabellas instar Evangeliorum propugnat, & inter alia ad stabiliendam hanc sententiam abutitur historia uxoris Lothi in statuam Salis à Deo conversæ *Genes. XIX.* quasi verò à potentia Dei ad potentiam Diaboli, ab actibus miraculosis ad præstigia dæmonum meris naturæ viribus operantium, valeret consequentia. Meritò igitur allegatus philosophus & qui cum ipso easdem tibias inflant, præ oculis habere debuissent Canonem concilii Ancyrani An. Ch. 308. sub Diocletiano Imperatore habiti, qui ita sonat: quisquis credit posse fieri aliquam creaturam, aut in melius deteriusve immutari, aut in aliam speciem vel similitudinem transferri transformarive, quam ab ipso omnium Creatore, pagano & infideli deterior est. vid. *can. Episcopus 26. quæst. 5.* Hinc lu-

Objectio de transmutatione uxoris Lothi.

lubentes assentimur Joh. Adolph. Schribonio *de Physiolog. Sagarum p. 76.* omnem hanc metamorphosin Sagarum in feles, canes, lepores incredibiliorem metempsychose Pythagorica existimanti. Ad objectionem autem, quod Diabolus Deo permittente talia perpetrare possit, satis respondet Wierus *de præstig. Dæmon. Lib. I. cap. 24.* nec obstat exemplum Nebuchodono saris Dan. IV. nam ille nullo modo in bestiam transformatus est, sed tantum, uti Calvinus in h. l. bene explicat, abdicatus fuit ita ex hominum consortio, ut norma hominis excepta, nihil à brutis animalibus differret quoad conversationem & humanæ societatis appetitum. Conf. etiam Wierus *de præstig. Dæmon. alleg. loc.* Equidem adducit Sprengerus *in Mall. maleficor. p. 1. qu. 10.* ex vitis patrum exemplum puellæ conversæ in Equam, sed postea ab hoc malo liberatam S. Macarii precibus: Verum quem fugit, ejusmodi legendas Patrum & sanctorum monachalibus fabulis putidissimis ad stuporem usque refertas esse, hinc illæ non sine cautione legendæ sunt, conf. præfat. Dn. Arnoldi *quam præfixit Parti I. vit. Patr. &, SS.* Melius & ad mentem nostram philosophatur Augustinus *de civit. Dei cap. 18.* credens, non solum animam, sed nec corpus quidem ulla ratione Dæmonum arte vel potestate in membra vel lineamenta bestialia veraciter posse converti, sed phantasiam hominis hic proram & puppim constituere. Hinc etiam apud prudentiores medicos non ignota est morbi cujusdam melancholici & ab atra fulginosaque bile proficiscentis species, quam *Lycanthropiam*, sive imaginariam ægri conversionem in lupos, vocare solent. vid. Paulus Æginet. *Instit. Med. L. 3. c. 6.* Hactenus vero dicta egregie illustrat Responsum Juridicum Facultatis Halens. mense Octobr. 1694. datum hisce verbis: **Alß derselbe uns gehaltene Registraturen/ verfaste Inquisitional-Articul, Elsche Nebelings/ wie auch Altze Ahlers darauff gethane Antwort und erfolgete schrifft:**

Exemplum Nebucadnezaris non probat transmutationes Sagarum in feles.

schrifftliche Gesätze in Sachen constituirten Fiscalis, Peinliche Anklägers an einen / besagte Altze Ahlers / Peinl. Anbeklagten andern theilß nebst denen übrigen in dieser Sache ergangenen Actis und 3 Fragen zugeschicket ꝛc.
Daß so wohl Elsche Nebelings als Altze Ahlers von der angestelleten Inquisition zu entbinden/und hat investigatio stigmatis diabolici gestalten Sachen nach nicht statt / Es wird aber Altze Ahlers einen Gottesfürchtigen Prediger/ der sie in ihren Christenthumb / absonderlich was ihren Tauffbund und andere zur Seeligkeit nöthige Stücke betrifft/ treulich und fleißig unterrichte / billig untergeben / welcher zugleich mit Liebe und Glimpff / ohne daß es das Ansehen einer Inquisition habe / nach allen Umbständen bey derselben untersuche/ob dasjenige/was sie in der Schule und sonsten aus dem Schnuptuch gemacht/eine lebendige Mauß/ oder nicht vielmehr ein bloßes Gauckelspiel mit den Schnuptuche/dergleichen unter Kindern nicht ungewöhnlich/ gewesen; Auffn Fall nun sich das erste glaubwürdig befinden solte/ hat so dann der Prediger Altze Ahlers ferner aus Gottes Wort/ wie sehr sie sich dadurch versündiget habe/ treulich vorzustellen/und damit Sie aus des Satans Stricken errettet werde / allen Fleiß anzuwenden/gestalt auch nicht nur ihr Vater zu sorgfältiger Christl. Erziehung anermahnet / sondern auch sonsten von dem Geistlichen des Orts auff ihr Leben und Wandel fleißig Achtung gegeben wird. ꝛc. V. R. W.

§. XIII.

Quid sentiendum de concubitu Diaboli & Sagæ & vice versa.

Fallacissimum itidem indicium est, si inquisitæ confiteantur vel se ipsas vel alias cum Satana concubuisse actusque venereos exercuisse. Equidem *Jacobus Sprenger* & Collegæ ejus in malleo malefic. scribunt, se plurimas Sagas in Constantiensi & Ratisbonensi territorio ultimo supplicio

cio addixisse, quia omnes fassiæ fuerint, Diabolum concubuisse secum. Ast jam supra evicimus Inquisitores Pontificios more suo, h. e. crudeliter, superstitiose & imperite multos innocentes damnasse. Quadrant huc optimè verba Fichardi *Cons. III.*. Es ist unglaublich / lauter Gespenst und Träume von der Weiber leiblichen Vermischungen mit den bösen Geistern / angesehen daß die Inquisitores hæreticæ pravitatis ihres eigenen Nutzens halber / und andere in solchen Unglauben durch viel erdichteter und nicht glaubwürdiger Exempel / wie dieselben in malleo maleficarum, Formicario, auch obgedachten Grillando, und andern mehrn / so am Pabstumb hängen / gefunden werden / hefftig gestärcket / und so viel alß glaublich gemacht haben / auch wieder alle Vernunfft und natürlichen Verstand. Accedit quod in *Artic. 44. Constit. Crimin. Carolinæ*, Von Anzeigung der Zauberey nullum verbum deprehendatur de tali indicio concubitus cum Diabolo. Igitur si in inquisitione aut etiam tortura miseræ mulierculæ nihil aliud fateantur quam concubitum dæmonicum, de cætero nullum damnum intulerint, svaderem illas ut deliras & parum sanæ mentis helleboro indigere non pœna. Neque talis concubitus propterea verosimilis sit, quod etiam *Geneseos VI. vers. 2. Filii Dei* h. e. secundum explicationem Sulpitii Severi & aliorum Angeli concubuerint cum filiabus hominum, & inde Gygantes & potentes in terra nati sint: Cum genuinus sensus hujus dicti obscurior sit, quam ut illud evincere possit, plerisque sustinentibus, non angelos bonos & Spiritus creatos ibi intelligi per filios Dei, sed posteros Sethi ab impiis Cainitis hactenus separatos. Hi conjugia cum filiabus Cainiticis ineuntes una cum illis pejores facti, tandem excepto ex Sethi posteris Noacho, ad unum omnes delet sunt diluvio. Inde male ex hac aliisque rationibus scribit Augustinus *Lib. 15. de Civit. Dei* quod Diabolorum cum mu-

Locus Genes. 6. v. 2. à perversa explicatione vindicatus.

lieribus copulatio adeò certa sit, ut contradicere magnæ sit impudentiæ. Prudentior longè hoc in passu Augustino Cardanus reperitur, quippe qui *de subtil. & variet. Lib.15.c.80.* existimat, melius feciſſe Augustinum, si à tam absurdis narrationibus abstinuisset. Idem judicium forte de Colloquiis mensalibus B. Lutheri ferri posset, quippe in quibus etiam ejusmodi fabellæ occurrere solent, quod tamen non est mirum in tanta barbarie temporum, ubi ob fœdam barbariem papatus omnia lemuribus, strigis, faunis & centauris opplета erant. Denique Theophrasti Paracelsi sententiã *de Malefic. cap.14.* existimantis, non esse Diabolum, qui rem habeat cum Lamiis, sed Ascendentem, sive genium hominis, merito hic præterimus, quippe non intelligentes quid Vir iste, alias profundæ sapientiæ, sibi velit suis Nymphis, Sylvis, Dryadibus, Evestris, Melusina, Monte Veneris in quo Danhuserus cum Venere habitarit, & multis aliis paradoxis in *Lib. de occulta philosophia ad Athenienses.*

§. XIV.

An Lamiæ tonitrua & tempestates ac grandines excitare possint & an hoc inter indicia magiæ computandum sit?

Solet haud rarò etiam illud pro indicio gravissimo reputari, si vetula aliqua minas aliquot de damno infligendo in calore eructavit, & postea pluviæ, tonitrua, venti orti sint, & forte fortuito damna sint illata pascentibus vaccis aut bobus. Enim verò cum jam à plerisque hodie concedatur, motus tempestatum ex machinatione Diaboli non dependere, facillimo negotio inde concludi potest, quod & hoc indicium sit fallacissimum. Non posse vero Sagas & magos pro lubitu tempestates excitare, sed illud e manu Dei provenire, S. Scriptura expresse testatur, *Jerem. XV. v. ult.* emphatica verba occurrunt: (*Num quid sunt in sculptilibus gentium qui pluant, aut cœli possunt dare imbres, nisi tu volueris?*) Conf. Luc. Osiandr. *in Bibl. ad h. l.* Hinc superstitiosa est, & impietatem gentilem redolet *L. 6. C. de*

C. de malefic. & Mathem. cujus Author Constantinus M. primus Christianus Imperator (si Diis placet) existimat, magicis artibus posse elementa turbari, vitam insontium labefactari &c. ac postea concedit, ad grandinis lapidationes & ventorum vim impediendam ejusmodi magica remedia esse licita. Meritò vero dolendum, etiam in multis locis adhuc quadrare verba Jacobi Spiegelii ad ruricolas: Incredi-„ bile dictu est, quam variis superstitionibus hoc etiam tem-„ pore rustici, utinam tantum rustici! secundum eorum in-„ credulitatem vexentur a Satana, ut putent, modo lac ad-„ emptum, modo fœtum, modo segetes: & universam agri-„ culturæ rationem non ad benedictionem Dei in fide vera „ sed ad meras præstigias referunt.„

§. XV.

Stigmata in Diffamatis ob magiam deprehensa fallax indicium præbent.

Nihil etiam frequentius est, quam ut Judices infallibile indicium à stigmatibus & aliis notis in corpore inventis, desumere soleant, talem personam pactum cum Dæmone iniisse, atque hanc characteristicam notam abipso accepisse. In malleo maleficarum ubique ferè hæc indicia tanquam infallibilia occurrunt. Idem existimant Bodinus *Dæmonolog. Lib. 2. cap. 4. & Lib. 4. cap. 4.* Rex Jacobus *in fine Dæmonologiæ suæ*: Crusius *de Indic. Part. 2. c. 32. n. 40.* & integra legio Doctorum apud Berlichium *Part. 4. Conclus. 4. n. 154.* idem cum ipso propugnant. Sic refert etiam Ostermannus Comment. *ad L. stigmata Cod. de Fabricens. sect. 8.* secundum ejusmodi stigmata sæpius judicatum esse. Atque hac ex causa inter cetera imprimis motum fuisse Parlamentum Aquisextiense ad Gaufredum condemnandum, observat P. Gassendus *in vita Peirekii.* Verum an genuina indicia præbeant hæc stigmata, valdè dubium, cum & jam *Del-Rio Disquisit. Magic. Lib. 5. sect. 4.* plenius adstruat, non facilè verum signum dignosci à macula, vel nævo, vel clavo, vel impetigine natura-

li. Quæ opinio Del-Rionis anſam præbuit Galliæ Mœcenati, Nicolao Peireskio totam hanc rem in dubium vocandi. Meretur locus Gaſſendi *in vita Peireſk. Lib.2. in f.* ut adducatur *quod ad ſtigmata ſpectat, hæſit Peireskius, num revera non eſſent notæ Cacomagiæ: idque præſertim ex quo agnovit, rem vocatam in controverſiam à Martino Del-Rio. aliisque viris doctis. fortè enim eſſe poſſe à natura, pertinereque ad ſingularem Elephantiaſeos ſpeciem, aut ſaltem poſſe ipſos melancholiæ deditos, ea ſibi quaſi cauteria inurere, ac perturbatæ menti defigere.* Aſt de qua re dubitanter & perplexe tantum ſtatuit Peireskius; illam multis ſolidis rationibus poſtea eliderunt Godelmannus *de Lamiis Lib.3. c.3.n.28.* Prudentiſſimus Anon. *in Caut. Crim. dubio 43.* qui in ſpecie Oſtermannum ſub nomine Colonienſis JCti ſæpius in hac materia confutat. Oldekopp. *tract. contr.* Carpzov. *Qu. 10. Deciſ 3.* Jordanus *pecul. Tract. de proba ſtigmatica contra* Oſtermann. Illud certè extra dubium eſt, ſi ejusmodi ſtigmata pro ſignis venditantur diabolicis & magicis, tunc certè & innocentiſſimi quoque maculas connatas vel cicatrices habentes in continuo conſtituentur periculo effectum ſuum ſortituro, quandocunque capiendi, corporis denudandi & inſpiciendi latrunculatoribus & carnificibus datur poteſtas: Tunc ſi lictor ſive Carnifex in iſtis locis mortificet carnem captivi, quod medicamentis & aliis remediis fieri poſſe putat Zachias *Quæſt. medic. legal. L. 7. Tit. 4. qu. 2.n. 15.* vel ſi leviter tantum compingat, vel ſi incantatis ſtylis utatur, vel alio modo carnis ſtuporē inducat, pro magis habendi eſſent, verba ſunt Oldenkoppii, in cauſis Criminalibus cauti & verſati *alleg. Quæſt. 10. n. 4.* Unde ſatis patet, ſtigmata per ſe, ſi nulla alia indicia adſint, fallacia fundamenta præbere in dijudicando crimine Magiæ. Interim admittimus cum Illuſtr. Dn. Strykio *de Jure ſenſ. Diſſ. VII. cap. 4.n. 14.* quod ejusmodi ſtigmata ſive nævi omnis tactus expertes, adeò ut quamvis acus alte infigatur, nullus inde

Indicia non ſunt qui Veneficiis cum aliis communiæ.

cruor

cruor fluat, tum demum ſuſpectum reddant accuſatum, ſi cum aliis indiciis ſat gravibus concurrant. Quo caſu tamen benè monet B. Eric. Mauritius *Conſil. Chilon. 5. n. 3.* ut Carnifici inquirenti in talia ſtygmata, vel Scabini, vel Notarius cum teſtibus adſint diligenter obſervantes, nequid fraudis a Carnifice admittatur.

§. XVI.

Fallaciſſimum indicium magiæ ſi nullæ lacrymæ in tortura emittantur.

Quando vero ſtigmata concurrentibus aliis indiciis gravibus gravare quem poſſe contendimus, nullo modo in claſſe horum indiciorum collocare cupimus id, quod placet nonnullis, ſcilicet quod indicium maleficæ ſit, ſi lacrymas in Judicis conſpectu fundere, etiam ſumme excruciata in Equuleo, non poſſit. Sprenger. *in mall. maleſic. P. 3. qu. 15.* Ex quo ſimul patet, craſſiſſima & plus quam gentilis ſuperſtitio papatus, dum formulam conjurationis exhibet, in meritum Chriſti injurioſam, qua uſus ſit, ut Veneficæ ad fundendas lacrymas adigantur. Facilè ex illo afferri poſſet, ſi operæ pretiū eſſet & illa digna, ut legeretur. Non ſolum autem Spreng. huic indicio multum tribuit, ſed etiā Joh. Bodinus in *Dæmonolog. Lib. 4. c. 4.* confidenter aſſerit, nullam ſagam in tortura lacrymas effundere poſſe, niſi ſorte ex dextro oculo tres guttas. Verum has nugas etiam placere Bernhardo Zieritzio *in Comm. ad Conſtit. Crim. art. 44.* merito miratur Eric. Mauritius *alleg. Diſſ. de denunciat. Sagar. p. 63.* apud quem & Rex Jac. *cap. 6. Dæmon. in fin.* non parum momenti in hoc indicio ponit. Nullatenus verò Godelmannus *de Sag. Lib. 3. cap. 3. num. 26.* in hanc ſententiam trahi debet à Berlichio *P. 4. concl. 4. num. 60.* & Carpzovio *Prax. Crimin. qu. 49. num. 63.* cum expreſſe hoc indicium de lacrymis reiiciat, ut adeo hæc allegatio Godelmanni indicium ſit potius incuriæ & præcipitantiæ à Berlichio & Carpzovio commiſſæ, uti hoc frequens vitium falſæ allegatio-

Judicium de falſis allegationibus à Berlichio & Carpzovio commiſſis.

nis apud istos deprehenditur, non autem apud hos solum, sed omnes illos, qui eorum exemplo plaustra allegationum adducere, fastigium eruditionis & variæ lectionis interpretantur.

§. XVII.

Rationes cur fallax sit indicium magiæ carentia lacrymarum.

Merito vero Godelmannus *dissentit l.c.* à Carpzovio & Berlichio, cum causæ illæ, quod nonnullæ personæ nullas lacrymas effundant in torminibus, ex meris effectibus naturalibus dependeant. Posset quidem mirum videri, quod in tam vehementibus cruciatibus nullæ lacrymæ effundi possint; sed quid si Psammenithi, Regis Ægyptiorum exemplum urgeamus. Hic domestica mala, (qualia certe sunt ejusmodi personarum equuleo subjectarum) lacrymis longè majora reputavit. Et notum est dictum Sapientis cujusdam Romani: curæ leves loquuntur & in signa externa erumpunt, ingentes vero stupent. Præterea ex principiis naturalibus notum est, aut dissentientibus Doct. notum esse debebat, quod lacrymæ nihil aliud sint, quam defluxus pituitæ, aquæ, aut seri in tubulis cerebri contenti effluentis juxta oculorum radices, per foramen illud, quod in oculorum interno angulo in hunc usum insculptum est. Unde oppido manifestum fit, quod lacrymæ sint copiosiores ob cerebrum humidum, & minores, imò interdum nullum, ob magnam siccitatem cerebri, uti in cholericis & melancholicis. Igitur firmiter stat regula, quæ in horum indiciorum dijudicatione instar statuæ mercurialis observari debet, scilicet quoties de re & effectu aliquo causæ naturales & physicæ assignari possunt, toties citra superstitionis & ignorantiæ notam ad causas super & præternaturales confugiendum minime est. Igitur pauciores illi authores, qui indicium hoc de carentia lacrymarum in sagis, ut fallax & ineptum spernunt, meliori & saniori fundamento innitun-

tuntur, quales sunt Del-Rio *Disquisit. Magicar. Lib. 5. sect. 4.* Oldekopp. *Observat. Crimin. contr.* Carpzov. *Tit. 4. Observ. 14.* Lindenspür *in Ordin. Würtenberg. n. 307.*

§. XIIX.

Quod autem de causis naturalibus adduximus, illud etiam militat pro mulierculis equuleo subjectis, sensum tactus amittentibus & in somnum declinantibus, capite declivo ac si jacerent in lecto, absq; ulla penitus lamentatione & clamore, ita ut quasi statuæ marmoreæ appareant ad tactus chordæ & reliqua instrumenta crudelitatis. Inde videas haud paucos uno ore fateri, hanc indolentiam præternaturalem à Diabolo præparatam esse narcoticis herbis aliisque incantationibus. Inde Practicorum Patriarcha Berlichius *P. 4. concl. 4. num. 166. & seqq.* sollicitus est in suggerendis cautelis ad rumpendum hoc silentii arcanum. Modo enim dicit Veneficas sortem silentii in crinibus & cute absconditam habere, indeque crines à capite ad calcem tondendos, nulla pudoris & honestatis naturalis cura habita, jubet: modo nescio quod remedium superstitiosum ex farina lacte matris & filiæ mixta contra dolores torturæ affert ex Hippolitho de Marsiliis: modo commendat aquam frigidam injiciendam ori sagæ ad deturbandum dæmonem: modo pergamenam quandam laminam, cui peregrina vocabula Dæmonum inscripta sint sub lingua, in culo, vel in vulva (uti sat sordidè loquitur,) quærendam & investigandam esse, Judices ad hortatur, & sexcenta alia ex Pontificiis Jure consultis, more suo, hoc est, cæco impetu, vix adspersa judicii mica, conglomerat. At vero hæc corruunt ex eo, si adducantur naturales causæ hujus soporis. Scilicet plerumque in numero prætensarum sagarum sunt anus deliræ, stupidæ vetulæ, cerebelli turbati, quid mirum igitur, si illæ ob squalorem carceris, angorem animi, summos cruciatus, lassitudinem corporis in extasin quasi in profundum so-

Fallax indicium magiæ, si mulieres tortæ, sensum omnem doloris amittant.

somnum incidant. Hoc eo magis plausibile, cum multa adsint exempla, hac quod in somnolentia obierint. Hinc teste Illustr. Dn. Stryckio in sæpius laudato *libr. de Jure Sens. Diss. 7. cap. 4. num. 16.* merito displicet prætensum hoc indicium Justo Oldenkoppio *in Coroll. adjecto qu. fin. decad. 3. contr.* Carpz. *num. 10.* Accedit quod Doctores sibi ipsis contradicere videantur. Nam juxta communem ipsorum sententiam, Dæmon sua potentia efficere non potest, ut rei tormentorum acerbitate victi sua delicta non fateantur. Paul. Zachias *quæst. med. Legal. lib. 7. Tit. 4. qu. 2. num. 15.* Si vero Dæmon soporem & indolentiam magis procreare posset, tum omninò posset etiam efficere, ut planè subterfugiant tormenta & instrumenta exprimendæ veritati apta. Ex hisce fundamentis damnamus morem nonnullorum Carnificum qui antequam sagas tormentis imponunt, certam potionem iis hauriendam porrigunt, quæ inde appellatur **Ein Hexen-Tranck**/ cujus ingredientia, teste Diether. *in addit. ad Besold. v.* **Hexen**/ sunt sequentia (1) **Ein Trunck Bier** (2) **Gerieben Brodt** (3) **Ein Hechtcreutz klein gestossen** (4) **Ein wenig Schwartzenkümmel** &c. &c. m. f. p. Ast merito subjungit Illustr. Dn. Stryck. *de Jure Sens. Diss. VI. cap. 4.* „*numer. 9.* Displicent tamen hi mores aliis; nec enim facile „ concedenda carnificibus sunt, quæ superstitionem sapi„ ant, potius ordinariis mediis exquirenda veritas, cetera „ committenda arbitrio ac judicio divino.

§. XIX.

Fallax indicium Magiæ si quis præ aliis nimis religiosus sit.

Illud vero mirum dictu est, multos authores adeo liberales in cumulandis indiciis magiæ fuisse, ut indicium certum ad inquisitionem & torturam existimaverint *si quis nimis religiosum in actibus externis cultus divini semet exhiberet*, ac pietatem præ aliis affectaret. Celebris alias JCtus Bavaricus Casp. Manzius *in Comm. ad art. 44. Constit. Crimin. v. 21.* ex

Pon-

Pontificiorum mente, hoc indicium ita declarat: *Gestibus inquit, quis suspectus (Magiæ) redditur si sit singularis in actib9 religionis & in ceremoniis, si templum citius ingrediatur, tardi9 egrediatur, ad nomen Jesu auditum suspiret, singularem sanctimoniã simulet & alias hypocriticas superstitiones exerceat.* Inde factum esse inter papicolas meminit cordatus Author *Caution. Crimin. dub. 8.* ut magiæ insimulatæ sint à vulgo illi Præsbiteri, qui reliquis diligentius missas celebrarunt, aut aliquid majoris devotionis præse ferrent, adeo utqui magus videri nollet, eum diligentissime sibi cavere oporteret in illis locis ab omni specie pietatis. Unde patet, quam misere lapsa sit in doctrina, vita & moribus Ecclesia Pontificia sive Romana. Imò possemus dicere absurdum hunc errorem revixisse etiam in magna parte Ecclesiarum nostrarum, mutata duntaxat scena, ut illi tanquam Weigeliani, Quackeri & nescio quid non diffamentur, qui seriam vitæ emendationem pietatemque à vulgo Christianorũ segregatam, non verbis, sed opere ipso comprobant. Ceterum ut è diverticulo (quo nos traxit paralelismus morum pontificiorum & nostrorum) in viam revertamur, quis non videt, hoc indicium pietatis præ aliis conspicuæ, nullatenus magiam aut pactum diabolicum probare. Hinc & isti cordatiores Pontificii huic opinioni vulgi & non multũ supra vulgum sapientium Inquisitorum suscribere verentur. Ipse Mantzius *loc. alleg.* agnoscit, indicium hoc, nequidem ad inquisitionem sufficere. Del-Rio autem *Disquisit. magic. Lib. 5. sect. 4.* id indicium aliquando quidem hypocrisin, non tamen, nisi remotissime, maleficium probare contendit.

Reflexiones super hoc indicio de genio seculi præsentis.

§. XX.

Hactenus elidimus & fallacitatis evicimus illa indicia, quæ speciem veritatis habuerunt, aut saltem in possessione vel quasi criteriorum omni exceptione majorum fuerunt, per

Incuriæ Dd. maxime Crusii in cumulandis indiciis.

per aliquot ſecula apud communem Doctorum ſcholam. Sequuntur ergo nunc illa indicia, quæ ſat palpabili debilitate nituntur, & quæ ignorantia craſſa; tum inveteratus error adhuc fovent. Nihilominus videmus illa ſecure à Berlichio, Cruſio *tr. de indiciis* & alis adduci, quaſi ſua luce veritateque radiarent. Oſtendemus vero nunc ſequentibus exemplis aliquot; ex verò pronunciaſſe JCtum ſolidi judicii, nec minoris uſus experientiæque, B. Ericum Mauritium *in Diſſ. de denunc. ſagar.* quod plerique indiciorum ſcriptores nimis profecto leviter & ridicule indicia delictorum conglomerent.

§. XXI.

An indicium ſit ſi magiæ in ſimulata, deſperet de vita ſua.

Sic apud Cruſium alleg. *Lib. Part. 2. cap. 32. num. 20.* Indicium ſagæ putativæ habetur, ſi dum capta dixit triſtabunda, *actum eſt de me*; vel *ne me morte, vel tortura afficiatis, veritatem ſponte loquar*, eumque infinem allegatur Berlichius *P. 4. Concluſ. 4. num. 150.* Bodinus *dæmonoman. cap. 4. p. 157.* Verum admodum lubricum eſſe hoc indicium, vel inde manifeſte colligitur, quod ejusmodi verba propter primos motus ſoleant eructari, & quod perſonæ ſemel captæ vereantur, ſe vix manus crudelium inquiſitorum effugituras eſſe, cujus rei ſat palpabilia ſpecimina paſſim adduxit prudens Author. *Caut. Crimin.* Imò cum juxta Carpzovium *Prax. Crimin. Part. 3. quæſt. 120. num. 73.* nequidem pallor, trepidatio & titubatio animi, indicium ſint facti commiſſi, ſed ejusmodi affectus & paſſiones ob periculi magnitudinem vivamq; imaginationem oriri poſſint, multo magis indicium fallax erunt verba illa ab inquiſita prolata. Perinde etiam omni fundamento deſtituitur cautela, quam Cruſius ex Bodino ſuggerit, quod nempe ſaga, quam primum capta, ſit examinanda, quia capta recens à Sathana deſeratur, poſtea vero ſe iterum aſſociet mulieri, eamque quid reſpondere debeat

ju-

Judici, instruat. Vellem verò scire, quis Bodino & Berlichio, ex eo repetēti bona fide, revelaverit hanc sathanæ desertionem & reversionem, & cur non apud Sagam manere possit?

§. XXII.

Indicium reputatur à Crusio certum *loc. alleg. num. 32.* quando penes reum ejusq; supellectilem reperta fuerit *schedula sanguine scripta.* Ratio est, qui legitur Faustus, famosus ille Magus Vittebergensis, talia facitasse, hacque solennitate Diabolo sese devovisse. Præterquam verò quod tota illa narratio de Fausto putidum commentum sapiat, & adhuc sub judice lis sit, an Wittenbergæ, an Würtenbergica in terra (sat grandi inter utramque hiatu,) commoratus sit; certe debilis est consequentia: sanguine Faustus Apocham diabolo scripsit, ergo qui convinci possunt, quod sanguine aliquid pinxerint, idem fecerunt. Nam & potuerunt literas amatorias scribere, exempla cum hujus rei non sint infrequentia, & amantes ex amentia solent quidvis arripere ad declarandas passiones suas. Potuisset igitur sanguineam schedulam omittere, & potius inscriptionem & sensum schedulæ urgere, an ad diabolum directus ille sit, nec ne.

An schedula sanguine scripta indicium sit Magiæ.

§. XXIII.

Æque jejunum & frivolum est indicium, si diffamata vel in inquisitionem deducta, *erecta & aperta fronte neminem aspiciat.* Bodinus *de Dæmonol. p. 559.* Ratio adjicitur, quia sagæ peculiares notas in palpebris præ se soleant ferre. Verum hæc rectè Del-Rio, ut imbecillia & omni sana ratione carentia, rejecit, *Disq magic. L. 5. sect. 4.* quia hæc demissio oculorū possit ex dolore oriri & ex diversa mixtura temperamentorum v. g. melancholici. Vid. etiam Mantzius *ad art. 44. Constit. Crimin.* Binsfeld. *de Confess. Sagar. conf. 13.* multò minus indicium erit magiæ, *si pupilla in oculo non appareat,*

Fallax indicium Magiæ si Saga torvum aspiciat.

aut inversa. Equidem vulgus consuevit ex hac physiognomia certo certius pronunciare de diffamatis ob hoc crimen personis; verum omnia illa sunt ludicra & incerta. Pupillam enim in oculo distortam aut inversam apparere, naturæ aberratio & vitium est, non hominis. Conf. Theodor. Thumm. *Tract. de Impietat. Sagar. qu. §. num. 6.*

§. XXIV.

Fœtor Inquisitæ ridiculo pro indicio reputatur.

Miserum etiam indicium ab eodem Crusio *alleg. loc. num. 69.* adducitur, quod scilicet indicium præbeat magiæ damnabilis, *quoties saga animium olet,* addita ratione admodum ficulnea ex Bodini *Lib. 2. cap. 3.* quod Sathanas attrahat fœtorem ex cadaveribus suspensorum, quorum corpora sæpe numero induat, & Hippocratem testari, quod obsessi ut plurimum quoque soleant olere hircum. Sed quis ejusmodi ratiuncularum non misereatur? Ergo quod felix faustumque sit, pauperculi Judæi [nam ditiores non olent] qui & fœtorem spirant propter allium & cæpas, quæ iis in deliciis, tum & sordidas vestes, erunt omnes Magi. Considera miseras & obulo sæpius carentes mulierculas in squalore carceris nullis mutatis vestibus, per aliquot septimanas, sæpius annos detentas, & non mirare illas male olere. Quid magis præterea insipidum, quam Diabolum fætorem contrahere ex corporibus in patibulo suspensis, & ab ipso instar larvæ assumptis. An enim spiritus, potentia immaterialis coinquinari materia poterit? ut nihil dicam, quod tota illa hypothesis de assumptione corporum humanorum à diabolo facta, vacillet, & apud cordatiores rerum naturalium scrutatores vix fidem inveniat. Illa vero opinio de fœtore diaboli Vulgi philosophiam sapit, quippe quod multas historiolas de comparitione Sathanæ ad unguem recitare novit, quarum omnium conclusio: *cum ingenti fœtore abiisse tandem.*

§. XXV.

§. XXV.

Admodum etiam ridiculum indicium ſortilegii ſuſpecti præbent apud ſæpius laudatum. Cruſ. *l. c. n. 97. Canes inſolitè geſticulantes, vel magnitudinis aut valoris, ſi illi à ſuis heris unicè magnifiant & æſtimentur.* Joh. Bodin. *de dæmono*; *pag. 537.* Remig. *in dæmonologia Lib. I. cap. 23.* Imò, quo eò plauſibilius evadat hoc indicium, variis & ſæpius evertentibus ſemet mutuo circumſtantiis recenſent, Corneliũ Agrippam Cacodæmonẽ, nigri, alii ruffi, Canis ſpecie, cotidianum ſecum habuiſſe, & illo mortuo, Canem illum (magno clamore: alii addunt licentia hiſtorica) in aquam ſemet præcipitaſſe, ficque diabolum ſuffocatum eſſe. Verum uti hæc narratiuncula inter craſſos Monachos pro aurea legenda reputari poſſet; ita nimis inficeta eſt, ut hodie abſque riſu à cordatioribus dimittatur. Notum enim eſt hoc polito ſeculo, quot heroes in omni litterarum genere ſimplicioribus temporibus magiæ inſimulati ſint, quos tamen politiora ingenia moderna, uti Gabriel Naudæus & alii, ſtrenuè defenderunt. Inſpecie ſuſpiciantur eruditiores, hanc fabulam de Aprippa excogitatam eſſe, ob vindictæ ſtudiũ propter editum ipſius elegantiſſimum libellum *de Vanitate ſcientiarum omnium.* Inde porrò apparet à Canib9 fruſtraneum Magiæ indicium peti. Nam quid frequentius, quod pro varia ingeniorum textura, unus ſoleat hoc, alter aliud animal deperire, & imprimis Nobiles venationis ſtudio dediti ſæpius ſolent lautius curare genium canum venaticorum, quam ſuorum ruſticorum. Quis propterea illos citra riſum incuſaret, quod pactum cum diabolo in forma canis, ipſis ſervitia præſtante, inierint? Idem judicium eſto de *felibus* aliisque animalibus. Rem hanc optime illuſtrant Obſervatio V. *in Tom. I. obſervat. Select. Hallenſ.* de Michaele Sidonio Epiſcopo Merſeburgenſi, pro Mago habito, eo quod ab ipſo impenſe amata ſit felis miræ magnitudinis,

Ridiculum indicium Magiæ Canes inſoliti à quodam æſtimati.

quam Sidonii *Spiritum familiarem* fuiſſe, communis ſermo vulgi ibi fuit.

§. XXVI.

Fallax indicium magiæ laſſitudo & ſomnus profundus &c.

Porro putat Cruſius *alleg. loc. n. 94.* indicium Magiæ ſuggerere decumbentiam ſomnumque profundum mulieris per aliquot dies durantem. Remig. *de dæmonolog. p. 118.* qui & *Lib. I. cap. 14. p. 145.* docet, confeſſione unanimi Sagarum compertum eſſe, ut quæ conventibus diabolicis interfuerint, ſæpè integrum biduum præ laſſitudine obdormiant vel decumbant. Verum hoc indicium eſt perinde fallax & nullius fidei. Primum enim notum eſt, quod detur peculiaris ſpecies morbi *Lethargus* vocatus, qui non ex vi diabolica ſed naturali oriri ſolet. Deinde poſſumus quidem concedere, quod nonnullæ deliræ anus certis unguentis ſemet ungant, & poſtea putent, quod in Bructero monte choreas duxerint; ſed a vana perſvaſione mulieris deceptæ, ad rem ipſam, non valet conſequentia. Notum enim eſt, quod opium & alia medicamenta Narcotica profundum ſomnum quidem concilient, intermixtis variis phantaſticis ſpeciebus, aſt evigilantibus poſtea, inſignem laſſitudinem relinquere. Igitur ex hoc indicio nihil aliud ſequitur, quam ejusmodi mulierculas, quæ ex ſtupiditate forte unguentum à vero mago acceperunt, eſſe imaginarias ſagas, quæ in lecto aut alio profundo loco jacentes, exiſtimant vi phantaſiæ per unguentum ſoporiferum corruptae, quod in meliboco epulis, choreis & aliis mille feſtivitatibus interſint. Confer quæ ſupra deduximus. Illuſtrant hanc rem egregiè Hiſtoria, quam adducit Joh. Baptiſta Porta, Philoſophus Neapolitanus in ſua *Magia naturali L. 2. c. 26.* ubi, poſtquam ingredientia hujus unguenti recenſuiſſet, hiſtoriam illam ſequenti modo perſequitur: Dum hæc penſiculatius perquirendo operam navarem (ancipiti enim mo-

morabor judicio, de transvectione sagarum), incidit mihi in manus vetula quædam, (quas à strigis, avis nocturnæ similitudine, striges vocant,) sponte pollicita, brevis mihi temporis spacio allaturam responsa: jubet omnes foras egredi qui mecum acciti erant testes, spoliisq; nudata, tota se unguento valdè perfricuit, nobis è portæ rimulis conspicua: sic soporiferorum vi succorum cecidit, profundoque occubuit somno. Fores ipsi patefecimus, multum vapulat, tantaque vis soporis fuit, ut sensum eriperet. Ad locum foras redimus. Jam medelæ vires fatiscunt flaccessuntque. A somno sevocata, multa incipit fari deliria, se maria montesque transmeasse, falsaque depromens responsa. Negamus, instat: livorem ostendimus ex verberibus, pertinaciter institit magis. Hactenus Porta. Simile exemplum in Ducatu Megapolitano accidisse, ex testimonio Virorum fide dignorum se habere testatur Godelmann *de Lamiis Lib. 2. cap. 4. n. 22.*

§. XXVII.

Igitur cum lamiæ ita decipiantur & revera in loco maneant, licet longe ab illo se abesse credant; nescio quid sentiendum sit illo indicio, quod Crusius *n. 92.* ex Remigio *L. I. c. 14.* recenset, nimirum *absentiam media nocte* indicare Veneficium. Nam illud præsupponit, sagas realiter sive corporaliter transferri; quod tamen secus esse, ex modo allatis historiis patet. Ut nihil dicam, quod variæ causæ possint esse absentiæ nocturnæ, quæ certe in fæmina magis solet indicium esse, ceteris paribus, violationis *septimi* præcepti quam quidem *primi* aut *secundi*. Exempla autem quæ in hanc rem ex Apulejo, Plutarcho, Plinio & aliis referuntur nihil aliud indicant, quam gentilium credulitatem superstitionemque circa lemures, spectra, larvas, lares & umbras. Indigna vero sunt ista nomine Christiano.

Fallax indicium si mutiendum lier per aliquot noctes absens fuerit.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Fallax indicium ex contusione aut plagis Inquisitæ.

Eadem falsa hypothesi, scilicet de corporali transmigratione Sagarum ad conventus diabolicos, nititur indicium quod apud Crusium *n. 88.* adducitur, scilicet: *vulnera plagasve autore incerto, corporibus Sagarum inflictas, diabolum autorem habere.* Recensetur enim ex Remigio, ipsis verbera atrocia infligi, si serius visitent conventus, si operas ibi distributas non promptè exequantur, & quæ similia sunt nugamenta. Quis vero Remigio hoc revelavit, quod Diabolus suos plagis excipiat? Resp. ipsæ fœminæ hoc fassæ sunt, adsunt confitentes reæ, proprium testimonium est optimum de mundo, ut loqui solent Doctores. Ast liceat dubitare. An quis dementi, se esse Hippocentaurum, aut Chilogonon Cartesianum, magna vociferatione attestanti fidem habendam putat? Perinde nec lamiis fides habenda est, quum ipsorum sensus hebetati, mens corrupta, phantasia læsa est astutia dæmonum. Hinc Godelmann. de Lamiis *Lib. 2. c. 2. n. 13.* Lamiarum passiones non absimiles judicat dormientium & furiosorum actionibus. Uno verbo dantur revera magi & Sagæ, scientes pactum cum dæmone ineuntes ad damnum reliquis infligendum, sed ut puto, non in tam magna copia, vicissim dantur & multæ aniculæ & delirantes fœminæ, sagas se credentes, cum non sint, sed a Diabolo deceptæ & ludificatæ, hos describit Harprecht ad §. 5. *Inst. de Judic.* quod melancholia laborent, & tantummodo à diabolo fascinentur ut amicitiam cum eo contraxisse & hæc & illa effecisse videantur, quæ tamen omnia, præter imaginamenta nullam habent veritatem. De his injustè pœna capitis sumitur, si non possit probari, eò progressas ipsas esse, ut revera damnum intulerint aliis hominibus, aut eorum rebus. Absurdi vero & crudeles sunt judices, quod ex ejusmodi levibus indiciis, quæ modo rejecimus, stupi-

das

das & deluſas miſericordiaque dignas mulierculas in equuleum rapiunt, & ſi poſtea tormentorum vi adactæ, imò ad ſuggeſtionem haud rarò quærentium, mille errores & deliramenta prodiderunt, poſteaque ratihabeant, cum iis ad rogum properant. Exempla ſunt odioſa. Interim quomodo praxis ante aliquot luſtra adhuc per Germaniam fuit, Author *Cautionis Criminal.* it. Oldenkoppius adverſus Carpzovium, aliique paſſim ſuppeditant, & vehementer vereor, ut ubique locorum etiam hodie cautior ac benignior ſit.

§. XXIX.

Fallax indicium Magiæ apparentia Angelorum & ſpectrorum.

Elegans etiam & haud vulgaris eſt caſus, qui occurrit apud B. Mauritium *Conſil. Chilon. 23.* ubi teſtes aderant contra Inquiſitam ſæpius teſtibus faſſam apparuiſſe ei Angelos, interdum etiam ſpectra multa ſub mandato ſilentio dixiſſe ei in aurem. Hoc pro indicio Magiæ habebatur. Nam quod primum attinet *apparitiones Angelorum*, pro bonis geniis & nunciis à Judicibus reputari non poterant, quia illi haud dubie communi, & occaſione certarum revelationum Virgini Nobili de A. factarum ante aliquot annos, valde ventilata, præfracteque negata opinione de Revelationibus extraordinariis à Deo factis, imbuti fuerunt. Conf. noſtra *Syſtemata Theolog. in loc. de Angelis.* Igitur hac hypotheſi ſtante, etiam Judices illi, qui ex Mauritio quæſiverunt de legitimitate Indiciorum magiæ, allegatum hoc de apparitione Angelorum, pro apparitione diabolica habuerunt, & conſequenter perſonam illam Magiæ ſuſpectam. Verum uti illa hypotheſis de Revelationibus omnibus Diabolo adſcribendis, admodum lubrica eſt, & adverſa moderatiorum Theologorum placitis, analogiæ S. Scripturæ; conf. Fabricium *pecul. lib. de Revelat.* ex hiſtoria Eccleſ. omnium ſeculorum, divinitatem nonnullarū revelationum probantem, &

Dn. Spenerum in diversis scriptis contra H. K. & occasione præfatæ Domicellæ de A. ita talis confessio simpliciter pro Indicio magiæ reputari non potest. Hinc etiam cordate respondit Mauritius *alleg. loc.* denn antreffend erstlich des Engels Erscheinung / so hat Sie solches in ihrer Jugend / wie sie ein Kind von etwa 12. Jahren gewesen / mit verschiedenen / auch etwas variirenden Umständen erzehlet: hat es vorietzo vor eine Einbildung und phantasie halten wollen. Gesetzt aber / daß dem auch also; So ist / wenn einem ein Engel oder Gespenst erschiene / daraus nicht zuschließen / Ergo kan solche Person zaubern und hat einen pact mit den Teuffel gemacht. Requiruntur, enim ad torturam infligendam, pergit, urgentia & concludentia indicia *artic. 37. & 44. Ordinat. Criminal.* Cothmann. *L. 3. resp. 29. n. 125.* Tabor *de confront. p. 27.* Idem dicendum de apparitione spectrorum & larvarum. Ut nihil dicam, quod cordatiores hodie sint in ea opinione, ex *mille* historiolis de apparitione spectrorum, *nongentos nonginta novem* meras esse fabulas, concurrente malitia hominum ex una parte, & ex altera parte meticulositate & stupiditate credentium. Nobis imprimis placet confessio B. Pufendorffii in Epistola ex Svecia ad Amicos in Germania; Quod spectra, inquit, peculiarem articulum fidei constituant, nondum audivi: super quibus, si quis me ad inquisitionem trahat, ita respondebo; me nunquam spectrum vidisse, nec ut videam, cupere, ab Imperitis hominibus multa, nocturno metu, & errore caliginis aut illusionibus aliorum fingi putare, omnibus promiscuè fidem detrahere, temerarium censere. Malè autē ex hoc loco, quod obiter notamus cum Dn. Joh. Sam. Strykio *Dissert. de Jure Spectr. §. 11. p. 18.* Petr. Goldschmid in Höllischen Morpheus *c. 4. p. 133.* incusat Pufendorfium, daß er etwas und auch nichtes

von

von denen Erſcheinungen halte/ und laſſe alſo in dieſem Stück ſeinen indifferentiſſimum naturaliſticum genugſam blicken ꝛc.

§. XXX.

Fallax itidem indicium eſt, quod tamen pro certo habent Bodinus *dæmonom. L. 4. c. 4.* & Chriſt. Beſold. *Theſ. Pract. voc.* Hexen/ illum eſſe magum, qui parentibus Magiæ convictis natus eſt. Equidem commune proverbium eſt: **der Apffel fällt nicht weit vom Stamme/ und die Tochter artet gemeiniglich nach der Mutter.** Verum illud non eſt univerſale, nec res magni præjudicii, quale eſt veneficium, tam levibus ſuſpicionibus niti debet, ſed indiciis & probationib9 ſole meridiano clarioribus. Hinc benè hanc opinionē dudum refutarunt Binsfeld *de Confeſſ. Sag. Conf. 16.* Mantzius *ad art. 144. Conſtit. Criminal. n. 34. ſeqq.* Del-Rio *Diſquiſit. mag. lib. 5. ſect. 4.* nec ego laudaverim illam cautelam Bodini *de dæmon. lib. 4. c. 1.* qua aſſerit, viam expeditisſimam eſſe inquiſitionis, ut ſi quam filiam habeat illa, quæ confiteri ſponte nolit, filia tenera, ſpe promiſſi præmii vel veniæ de matre interrogetur, quia filiæ ſagarum plerumque conſciæ ſint facinoris materni. Certè hoc eſt filias incitare in necem matris, qua nihil indignius. Aut enim illa mater quæ confiteri nolit eſt legitimis indiciis gravata, aut non; priori caſu quid vetat torturæ eam ſubjicere; poſteriori caſu autem dimittenda eſt, neq; enim infans idoneus teſtis eſt in tam tenera ætate, ut poſſit in tam ardua cauſa dignum teſtimonium ferrè, quippe quod apud prudentes Judices ſemper cum formidine oppoſiti conjunctum eſt.

Magiæ indicium lubricum eſt, ſi quis parentes tales habuit.

Cautela Joh. Bodini examinatur.

§. XXXI.

Idem dicendum eſt de cautela, quam Del-Rio *diſq. Mag. Lib. 5. ſect. 10.* format: *Poterit Judex uti æquivocatione*

verbisque subdolis citra mendacium & ambigua permissione liberationis, ut reum reamve indueat ad fatendum veritatem, quæ si confitetur, sibi imputabit rea, quod non subtilius sensum verborum ambiguorum discusserit. Certè hoc casu Judex semper fluctuare debet, annon spe factæ veniæ & gratiæ, aliquid fassa sit rea, ut jussui Judicis satisfaceret. Nam phrasis illa, *veritatem confiteri*, significat apud Judices, qui in antecessum jam rogo destinarunt inquisitas, multa facta diabolica confiteri & nugamenta de Bructero monte. Scientes hoc reæ spe veniæ confitentur, quod forsan nunquam iis in mentem venit. Subdolæ verò fraudes talium æquivocationum dignitate Judicis & viri honesti perindignæ, adhuc clarius patent ex exemplis, quæ affert Sprenger. *in mall. maleficor. quæst. 15.* scilicet ad æquivocationes honestas Judicis hoc casu pertinere, si Judex per verba generalia faciat gratiam subintelligendo Reipub. noxios tollendo; vel si dicat: *confessionem Sagæ utilissimam futuram* ad vitam scil. æternam, cujus particeps fieri possit, post pœnitentiam suppliciumque perceptum. Hæ verò cautelæ causidicinam sapiunt, non generosi ac honesti Judicis officium. Mirum igitur hanc versutiam & straphas criminales placuisse etiam Schrotero Prof. olim. Jenens. *in Diss. de Lamiis.*

§. XXXII.

Indicium Magiæ, si damnum post minas illatum, expenditur.

Solent haud pauci etiam exinde indicium certissimum magiæ petere, si præcesserint minæ de damno inferendo, & damnum postea illatum sit. Equidem hoc indicium in *Constit. Crimin. art. 44.* fundatum est, sed debet rite intelligi; verba ita se habent: **oder jemand zu zaubern bedräuet / und den Bedreueten dergleichen beschehen** ꝛc. ubi rectè Doctores restringunt hoc, si in continenti fiat, Farinac. *de Indic. & Tortur. Lib. I. Tit. 5. qv. 50. n. 14.* Del-Rio *Lib. 5. sect. 3. f.* apud Ericum Mauritium *Consil. Chilon. 25. p. 314.* Præterea requi-

quiritur ut illæ minæ sint specificæ de eodem, quod sequitur, delicto. Nam si sint ambiguæ, & quæ possint significare vindictam legitimam sive juris, & quæ licito modo, v. g. *Ulciscar, solves, pœnitebis, non sic abibit*, &c. hujusmodi minæ non præbent sufficiens, sed admodum fallax indicium. Del-Rio *disquisit. mag. lib. 5. sect. 4.* Maurit. *loc. cit.* Præterea illæ minæ minimum duobus testibus probatæ esse debent. *vid.* Art. 23. *Ordinat. Crimin.* ibique Math. Stephani *in Notis* add. *L. 9. C. de testibus.*

§. XXXIII.

Draco volans fallax indicium torturæ.

Aliquando etiam accidit, ut imperitum vulgus imprudentesque judices pro Magiæ dedito habeant, & inquisitioni suæ subjiciant illos, ad quorum caminos intempesta nocte sese recipit Draco volans, vulgò der feurige fliegende Drache/ quem diabolum esse, sociisque suis furto ablatas res donare sub hac specie, communiter creditur. Ast hoc indicium neque ad inquisitionem, multo minus ad torturam esse idoneum, sed fallacissimum, experientia & rerum physicarum plenior cognitio exacte docent. Quis enim doctrina de Meteoris vel leviter imbutus est, quem fugiat ejusmodi materiam sulphuream & nitrosam conglobatam ardentemque propter celerem motum in aere vagari, quæ à varia textura particularum, tum & externa figura modo, modo *ignis fatus*, Germ. Irrwisch & Irrlichter in locis paludosis & Cœmiteriis frequens, vocatur, modo draconis volantis nomen sortitur. Ultimæ hujus speciei materia in aëre agitata proximum foramen & caminum petit unde fumus & aliæ particulæ calidæ igneæque egrediuntur, inde pervenit ut simile simili gaudens, Draco hic volans caminum petere soleat, quæ cum vulgus forte fortuito conspicit & causas hujus rei ignorat, mox diabolum in subsidium vocat. Nam ignorantia est mater admirationis, hæc verò

causas cum non habeat, fingit, & nota est hominum simplicium stupidorumque, si omnia ad causas præternaturales referant. vid. Casp. Schott. *in physic. curios.* P. I. Fromond. *in eleg. tract. de Meteor.*

§. XXXIV.

Indicium fallax magiæ, si quis ob Incubum immissum accusetur.

Reminiscor etiam memet, Acta Judicialia perlustrantem invenisse casum, ubi contra fœminam, tanquam Magiæ deditam, inquisitio specialis formata erat, quia nescio quid alteri, cum quo inimicitiæ intercesserant & rixæ, minitata esset; & ille alter post aliquot dies *Incubo*, quem vulgo vocant das Nacht-Männlein / der Alp / die Maare / intempesta nocte vexatꝰ fuisset. Quam frustranea vero inquisitio ob hoc putatitium indicium institutum fuerit, facillimè demonstratu est. Quod si enim prudentiores Medicos evolvimus, illi sane hoc casu nil diabolici aut supernaturale hic admittunt, sed tantum morbũ aliquẽ ex abundantia crassi spissique sanguinis originem sumentis. Hinc Sylvius in Prax. *Med. Lib. 2. cap. 32.* Insomniorum peculiarem speciem in qua falsa observatur imaginatio personæ aut rei cujusvis thoraci graviter incumbentis, docet esse Incubum. Willisius *Pathol. part. 2. cap. 6. de* Incubo ita disserit: *Incubi paroxismus, sæpissime ac ferme tantum inter dormiendum ingruens, plerumque post decubitum in lecto supinum excitari solet. Nam respiratione oppressa aut impedita, se à pondere thoraci graviter incumbente opprimi putant, quod quidem pondus, nunc hac, nunc illa spectri aut larvæ specie, ipsorum imaginationes ludit.* Quæ cum ita doctisssimorum medicorum testimonio sese habeant, hisce deridendum semet proponeret citra dubium Judex, qui amplius ob hoc fictitium indicium in magiam inquirere vellet. Equidem Incubum à Dæmone excitari, olim à non paucis creditum fuit hominibus, hinc videas passim apud Scriptores Incuborum fieri mentio-

Vulgi persuasio de Incubo exploditur.

tionẽ. Nam & jam Auguſtinus *de civit. Dei L. 5. c. 23.* ſcribit: creberrima fama eſt, multique ſe expertos, vel ab eis qui experti eſſent, de quorum fide dubitandum non eſt, audiſſe confirmant, Sylvanos & Faanos, quos vulgo Incubos vocant, improbos ſæpè extitiſſe mulieribus, ac eorum expetiſſe peregiſſeq; concubitum. Unde videmus bonũ Auguſtinum vulgi errorem erraſſe, & magnum hunc dormitaſſe Homerum. Rationem autem & originem eleganter inquirit *Archiater Sereniſſ. Reg. Boruſſ.* Dn. Albinus *in Diſſertat. de Incubo. §. 3.* cujus verba cum alia loca in Diſſertatione noſtra illuſtrent, heic adducere non præter rem erit. Ita verò ſeſe habent: *Ignorantiam admirationis matrem conſtituunt ſapientes. Ubi enim inſoliti & extraordinarii objecti repræſentamen animæ datur, in attentam ſubitaneamque ejus contemplationem rapitur, ſtupeſcendo obſtupeſcit quandoque, & ſicubi tam inſolitæ raritatis notabiles obſervat apparentias, quas ex principiis ſuis naturalibus deducere neſcia eſt, attonita & deſperabunda magicum & diabolicum frequenter culpat concurſum. Medicinam ſimili contagioſo hinc inde videmus obnubilatam afflatu: Priſcis enim temporibus, & hodienum adhuc inter Medicos nonnullos perverſus obtinet mos, ut ubi cauſa morbi à ſenſu & notitia communi remotior exiſtit, illam Veneficarum & Diaboli in acceptis ferant truculentiis. Tale factum præſens etiam ſuſtinet morbus Incubus &c. &c.*

Origo perſvaſionis hujus vulgaris cau & ſa.

§. XXXV.

Progredimur autem nunc ad aliud indicium imbecillitate & fallacitate priori par. Deprehenditur verò hoc ſæpius in pervolutione Actorum criminis Magiæ, ubi teſtes producti contra Inquiſitam, non aliud norunt afferre, quã *Sejam* aut *Meviam* aliquando impenſe laudaſſe Titii animalia, arbores, fata, illa verò poſtea ex hoc faſcino flaccida & marcida evaſiſſe ac tandem periiſſe. Item hanc vel illam

Fallax indicium Magiæ, ſi ob faſcinationem quis accuſetur.

ſam fæminam Magiæ ſuſpectam eſſe, quia omnia quæ torvè aſpiciat, occidat. Videas hic imperitos Judices errore vulgi de faſcinatricé vi imbutos mirum quantum tribuere huic indicio; ſcilicet vetus perſvaſio inſidet mentibus ſimplicis plebeculæ, maxime in villis & pagis, quod laudando alter alterius res animatas dæmoniaca vi corrumpere poſſit. Origo erroris vero eſt ex gentilismo & papismo. Notus enim eſt ille verſiculus Virgilianus: *Neſcia quis teneros oculus mihi faſcinat agnos?* Conf. m. A, Gellius *noct. Att. 4.* Petr. Gregor. (vulgo Tholoſanus) in *Syntag. Jur. Univerſ. Lib. 34. c. 11. num. 14.* Hinc agnoſcit Cruſius *de Indic. Part. 2. c. 32. num. 108.* hoc indicium magiæ eſſe admodum fallax & ſuperſtitioſum. Sat Judicioſe etiam B. Morhoffius *Diſſert. de paradox. Senſuum Cap. 2.* mentem ſuam declarat de hac re his verbis: *de vi faſcinatrice oculorum mirabiles ac anniles circumferuntur ineptiæ, quarum potisſima pars vix ſpeciem aliquam phyſici effectus præ ſe fert. Ac eſt ſane rerum naturalium, quod civilium fatum, ut libenter ipſi fingamus portentoſas hiſtorias, ac ſvavibus fabulis lubenter nobis imponi patiamur.* Equidem non denegamus omnem vim aciei oculorum, de qua tot exempla ſuppeditat Frommannus *vaſto libro de Faſcino.* Sed hoc habet ſuas naturales cauſas, easque ſat profundas, ſi credimus Duumviris profundisſimæ in Phyſicis ſcientiæ, Thomæ Campanellæ *de ſenſu rerum. lib. 4. & Marco Marci in philoſ. veteri reſtitut. part. 5. ſect. 2, 3.* ſic apud Plinium de populis integris legitur faſcinantes oculos habentibus, cujus ſignum pupilla in oculo duplex. Eos ajunt prata, flores aſpectu ſuo exurere, ac fœtibus tenellis virus afflare. Aſt fides ſit penes Plinium, nam dudum multarum fabuloſarum relationum convicta eſt ejus hiſtoria naturalis. Sufficit vero nobis prætenſum illud indicium magiæ, quod à faſcino petitur, per allegata appareat fallax, incertum, imò nullum.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Comparet aliquando & illud inter indicia legitima ſtudii magiæ, quod ſcilicet inſolita copia pediculorum, aut alia inſecta ab inquiſita in veſtes, domum, villam Sempronii vel Mævii introducta ſint. Verum circa hoc non parum conſiderari meretur, quod primum inſolita illa copia pulicum & pediculorum potuerit oriri ex cauſa phyſica. Nam ni fallor, ſolent medici morbum aliquem *phtiriaſin* propterea vocare, quod homines eo laborantes ex propria cute producant copiam pediculorum. Sic teſtantur hiſtorici, quod Philippus II. Potentiſſimus Rex Hiſpaniarum, qui unquam fuit in mundo, tam miſerabili morbi genere ad plures abierit. vid. Dn. Beckman. *Hiſtor. Orb. terr. Geogr. & Civ. P. 2. de Hiſpan.* Hoc intuitu igitur ceſſat vis & fraus diabolica. Dæmonis enim poteſtatem in producendis pediculis merito quis in dubium vocaret. Legimus enim *Exod. VII. VIII. IX. X.* diabolum nec aquas in ſangvinem convertere, nec gignere ranas, nec denique pediculos ex pulvere producere potuiſſe. Bene Lutherus *in gloſſ. ad dict. cap.* ita Diabolo propterea inſultat: **Der mächtige Fürſt dieſer Welt iſt nicht ſo mächtig/ daß Er kan eine Lauß machen.** Equidem adducit Burggravius in *Achille Panoplo p. 77.* hiſtoriam & apparatum convocandi ſerpentes: Verum hujus authoris fides ſuſpecta eſt, quia ſæpius militis glorioſi apud Plautum veſtigia premere ſolet. Imò ſi ſerpentes convocari poſſent artibus magiæ ſive falſæ ſive veræ, tamen propterea non idem de productione pediculorum aſſeri poteſt. Ergo etiam tale indicium magiæ nullam fidem meretur. Nam legimus *Exod. cap. alleg.* diabolum ſerpentes potuiſſe producere in conſpectu Pharaonis, nullatenus verò pediculos. Si aliquis noverit pulices aut alia inſecta producere, non licet à notitia hujusmodi, quæ phyſica eſſe poteſt, concludere aliquem eſſe maleficum. Maurit. *P. 2. Conſ. Chi-*

Fallax indicium Magiæ ſi accuſetur, quod pediculos immiſerit.

lon. 11. num. 13. ubi ita respondetur: Das Flöhe machen anlangend / so ist dieses zuförderst allein aus der Bekäntnüß des Knabens genommen/und weilen sonsten inter physicos certum & ex experientia constat, nasci ex putredine varia animalcula, qua de re videri potest Aristoteles *Lib. de histor. animal.* So ließ sich à notitia generationis unius aut alterius animalculi ad magicam artem gar nicht argumentiren.

§. XXXVII.

Fallax indicium magiæ ligatura illa qua conjuges impotentes reddi dicuntur.

Videtur etiam indicium Magiæ certissimum esse, si quis *convincatur* ligaturæ magicæ, Germanice das Nesselknüpffen. Nam Neonymphos posse ligari in ipso actu benedictionis sacerdotalis, ut ad coitum conjugalem inhabiles reddantur, Criminalistæ magno consensu docent, nimirum Bodinus in *Dæmonomania Lib. 1. c. 1.* Joh. Adam Osiander *in Tract. de Magia §. 97. p. 219.* Del-Rio *Disq. Magic. Lib. 3. p. 1. qu. 4. sect. 8.* Spreng. *in malleo malefic. P. 2. qu. 2. c 16.* Recensent autem hi authores varios modos, quibus per nodationem ligulæ aut per obserationem seræ pensilis durante benedictione sacerdotali, hæc ligatio peragi possit. Conf. Speidel. *notab. Jurid. polit. voc.* Nesselknüpffen B. Carpzov. *Decis. 186.* Wier *de præstigiis dæmon. Lib. 4. c. 20.* Chirland. *de sortileg. qu. 3. n. 26.* Paracelf. *in tract. de occulta philosophia cap. 10.* Remig. *de dæmonolatria Lib. 3. c. 8.* Allegatus modo Bodinus autem ultra quinquaginta modos statuit adesse, quibus conjugibus potestas actus venereos exercendi adimi possit. Quanquam autem hæc unanimi consensu ita doceantur à modo laudatis scriptoribus, non desunt tamen suspicaciores qui putant, has ligationes esse meras impressiones, illusiones & imaginationes hominum timidulorum. Conf. Gilhausen *in Arb. Jud. Crimin. c. 2. Tit. 17. num. 23.* Imprimis vero hoc confirmat discursus ex Gallico quodam scriptore, apud Erasm. Franciscì in der lustigen Schaubühne *Part. 1.* ubi fuse & in utramque partem ventilatur, an revera hæc ligatura

Ligaturæ magicæ veritas in dubium vocatur.

con-

contingat. Discursus vero ille eo collimabat, homines imbecillioris naturæ, timidos & fortis imaginationis, si inimicos norint suos, qui magiæ suspecti sint, mox ligaturam in die Nuptiarum vereri. Hujus imaginationis vires adeò potentes sunt, ut sæpius se credant, & dum credunt, sint tales, quales sibi imaginantur, h. e. impotentes. Adsunt præterea multa exempla, quod aliquibus hæc ligatura facta sit, nec tamen illi impotentes evaserint. In *Tract. de Injur. quæ novis nuptis fiunt p. 99.* adducitur responsum, unde patet effectum ligaturæ nullum fuisse, verba ita leguntur: Hat M.G. von M. in guten bekant / daß Sie am nechst verwichenen Pfingsttage zu M. in der Kirche nachmittage wie H. O. mit C. T. getrauet worden / ein Schloß / so sie bey sich gehabt / als der Pfarrer dem Bräutigam und der Braut die Hände zusammengefüget / zugeschlossen / und solches darümb ⁊ ⁊ ⁊ H. O. auch auff Befragen berichtet / daß Er nach der Trauung an Ehelichen Wesen keinen Mangel verspüret: So wird ꝛc. unde satis patet rationes & historias de hac ligatura non esse omni exceptione majores. Posito verò, quod in veritate omnia illa ita sese habeant, quæ à Doctoribus afferuntur, tamen exinde non potest concludi, quod omnes sint veri magi & incantatores qui ligaturam callent. Nam potest quidem admitti assertum Farinacii *Prax. Crim. qu. 20. n. 103.* Danhoud. *in prax. Crim. c. 73. n. 2.* Berlich. *P. 5. Concl. 5. n. 52.* Goldasti von *Confiscation* der Zauberer uñ Hexen Güther. §. 51. *l. B.* quod magi & veneficæ omnes, quæ revera tales sunt, hasce calleant artes. Verum vice versa non sequitur: omnes qui hisce artibus utũtur, sive masculini, sive fœminini sexus, sunt magi. vid. *tract: de Injur. novor. nuptor. p. 107.* nam & pueri & homines simplices nodare possunt hasce ligulas certis adhibitis verbis, qui alias magiæ plane sunt ignari, & cum Satana neque expressum neque tacitum pactum iniverunt. Conf. Bodin. *Damonom. Lib. 2. c. 1. pag. 74.* Speidel. v. Nesselknüpf-

fen. Dn. Simon *Diss. de Impotent. conjug. cap. 5. §. 4. n. 5.* Quamvis itaque non ut magus puniendus sit ligans, alio modo graviter tamen puniri poterit teste Del-Rio. *Magic. disq. Lib. 6. c. 2. sect. 1. qu. 2.* Theodorico *Colleg. Crimin. c. 7. §. 6. num. 18.* B. Brunneman. *de Jure Ecclesiast. Lib. 2. c. 17. §. 4.* ibique Illustr. Dn. Stryck.

§. XXXVIII.

Restant adhuc mala illa indicia & illicita, quæ ab impiis Judicibus adhibentur, paucis considerandа : Scilicet in horum classe principem locum meretur, si Judices alios magos (quos vulgus weise Männer/ kluge Frauens/ salutare solet) in alia ditione consulant, & per illos lamias & veneficas sui territorii sibi ostendi curent. Fuit tempus, ubi in Germania, haud dubie ex immoderato zelo, lamias exurere pro re licita reputatum fuit. Testatur enim Johannes Bodinus, non quidem testis domesticus, sed rerum Germanicarum sat peritus, *tr. de Dæmonom. Lib. 4. cap. 4.* in Germania fieri solere, ut Judices per alios magos conductitios ad saltum cribri rescisçant, an quis sortilegia & magiam diabolicam exerceat. Verum hoc est malum promovere, non eradicare. Imò si de jure divino *Levit. XIX. v. 31. Deut. XIIX.* Jure Civili *L. 3. §. 5. C. de Malef. & Mathem.* Jure Canonico *Can. qui sine Salvatore 26. qu. 2. C. admoneant 26. qu. 7. Can. nec mirum 26. qu. 5.* ne liceat quidem Dæmoniaca vi morbo laborantibus opem Magorum implorare, quo sanitati restituantur, Dant. *Casib. consc. cap. 10. sect. 1. qu. 43.* Del-Rio *Disq. mag. 6. c. 2. sect. 1. qu. 2.* Godelm. *de Mag. Lib. 1. c. 8. n. 37.* Struvius *syntag. Jur. Exerc. 49. §. 66.* Binsfeld. *de confess. Mag. §. 9. p. 28.* Theodor. *Colleg. Crimin. c. 7. §. 6. num. 17,* Carpzovius *Praxi Crimin. qu. 50. num. 64.* Berlich. *Part. 4. Conclus. 5. num. 84.* multo minus licitum & permissum erit, tutumque in conscientia ex Magis & superstitiosis hominibus quærendo alios magos exurere. Hinc recte ejusmodi indicia magiæ, quæ fun-

fundantur in superstitione aliorum, rejiciuntur ac damnantur in Caroli V. *Constit. Crimin. art. 21.* Ibi: Es soll auff der Anzeigen / die aus Zauberey oder andern Künsten Wahrzusagen sich anmassen / niemand zum Gefängnüß oder peinlichen Frage angenommen / sondern dieselbe angemaste Wahrsager und Ankläger sollen darüm gestraffet werden. Conf. Eric. Maurit. *Consil. Chilon. 25.* Gilhaus. *arbor. Crim. 2. Tit. E. 17. num. 4.* Godelman. *de mag. Lib. 1. c. 3. n. 2.*

§. XXXIX.

Æque superstitiosum indicium magiæ est, quod occurrit apud Joh. Bodinum *de Dæmonom. L. 6. c. 5.* Wier. *præst. dæm. L. 6. c. 7.* ex quibus repetit Berlichius *d. l. concl. 4. n. 35.* illos Magos esse, qui e templo egredi non possunt, si ibi puerulus sit indutus calceis axungia suilla perunctis. Verum hoc indicio & modo explorandi nihil est superstitiosius ac vanius. Mirum quod homines, qui delectantur ejusmodi nugis, non etiam utantur collyrio, quod Rabbini, diligentissimi nugarum promicondi parant pro videndis Dæmonibus. Arcanum vero illud Clariss. Wagenseilius *in Sota p. 482.* prodit ita: *si cui oculis dæmonas usurpare libido sit, huic capienda secundina felis fœminæ nigræ, primo partui a matre primogenita editæ: ea comburenda atque redigenda est in pulverem minutissimum, iste pulvis oculis insperssus faciet, ut dæmones sint visibiles.* Sit fides penes Authores. Credat hoc Judæus Apella non ego.

§. XL.

Alios ejusmodi modos nugacissimos lamias & sagas explorandi recenset Berlichius *loc. alleg. n. 36. 37. 38.* ex Bodino, Wiero, Godelmanno aliisque. Verum quia manifeste superstitiosi sunt, nugaces & impii, nullus cordatus Judex temere iis utetur ad explorandas sagas. Si vero forte fortuitò aliquis Judicum eo malitiæ progrederetur, ut

per

per ejusmodi explorationes frivolas lamias in sua Jurisdictione commorantes explorare cuperet, certe illa indicia, quæ ex tali processu contra putatitias sagas resultarent floccihabenda erunt. Hinc si hoc casu tortura personæ esset dictata, & in illa confessio criminis fieret, illa confessio minimè sufficeret ad mortem. Nam tortura, si illegitime irrogetur, nemini, etiamsi crimen in ea fateatur, præjudiciũ affert. *arg. L. 5. C. d. LL. cap. quæ contra 64. de R. J. in 6to. L. 1. §. 2. ff. quod quisque juris. L. 4. §, 6. de re judicat.* Carpzovius *part. 3. prax. Crimin. qv. 123. n. 8.* Mantzius & Stephani *ad art. 20. Constit. Crimin. Carolinæ* In tantum autem hoc vim suam exerit, ut hujusmodi extorta confessio ne convalidetur quidem, licet legitima & alias de jure valida prægnantiaque superveniant indicia. Nam quod ab initio vitiosum fuit, non potest tractu temporis convalescere. Manzius *ad dict. art. n. 25.* Stephani *ibidem.* Carpzov. *Prax. Crimin. part. 7. n. 13.* qui simul commemorat, celebrem inter antiquos Criminalistam Hippolitum de Marsiliis eam probare ex *L. penult. ff. de quæstion.* ac addere, se per textum illum Bononiæ à mortis pœna liberasse *diversis temporibus tres homines, qui injuste torti perseverabant in suis confessionibus, etiam repertis postea indiciis.* Verum hoc cum grano salis accipiendum esse, eleganter docet Mauritius *Consil. Chilon. 23. n. 21.* Jo. Otto Tabor *tract. de tortur. & Indic. delictor. ad art. 20. ordinat. Carolin. p. 113.*

§. XLI

Pro fallaci indicio habetur proba per aquam frigidam.

Ultimo loco fallacissimum indicium a multis reputatur Judicibus proba per aquam frigidam, ubi scil. ille pro Candidato rogi habetur, qui aquæ injectus non mergitur sed supernatat. Lud. Gœhaus. *in arbor. Crimin. qvæst. 1.* Tale examen non solum ante seculum & quod excurrit in Livonia, Westphalia & aliis non nullis locis in usu fuit, sed etiam

a ce-

à celeberrimis JCtis defensum est. Sic expresse patrocinium probæ per aquam frigidam susciplunt Scribonius *de Nat. & potest. Sagar. lib. 2.* Heinricus Kornmann. *de miracul. vivor.* Crusius *de Indic. p 2. c. 32.* Imò Jacobus Rex Angliæ *in sua Dæmonologia L. 3. c. 6.* nullus dubitat asserere, quod examen Magorum per aquam frigidam *non naturæ ope sed divina voluntate institutum videatur* (ut nempe supernatent veneficæ) *prodigiosa in Veneficis impietatis signum, tanquam aqua suum in sinum eos non admitteret, qui excussa baptismi aqua se omni illius sacramenti beneficio orbarunt.* Verum hæc ratio sat superstitiosa est & miracula fingit, ubi rationes ex natura gravium & levium corporum abunde hodie suppeditantur ab illis, qui in Collegiis physicis experimentalibus occupati sunt. Confer. *scriptum philosophorum Leidensium apud Heurnium in opp. Medic.* Hinc merito hanc probam aquæ frigidæ tanquam rem superstitiosam & innocentes homines magnis calamitatibus involvere aptam rejiciunt Del-Rio *disq. Mag. Lib. 4. quæst. 5. sect 3.* Gisbert Voet. *Dissert. select. p. 3. Disp. 39.* Imò probatio hæc vulgaris, etiam in Jure Canonico, superstitionibus tamen alias insigniter favente, prohibita invenitur *Can. Menna cas. 2. quæst. 5. C. 8. de purg. Canon.* Sic etiam notoriam falsitatem hujus indicii multis confirmat exemplis Godelmannus *de Sagis L. 3. c. 4.* quod multæ sagæ legitimo modo convictæ & postea aquæ superimpositæ fundum petierint. Ergo nullum dubium est, quin multi innocentes, sed temperamenti melancholici & flatulenti & corporis porosi hoc indicio fallacissimo perierint, vicissim multi nocentes alio temperamento præditi evaserint periculum. Conf. etiam Bodinus *de Magorum dæmonomania c. 4.* P. Heigius *quæst. illust. 39. n. 61.* Binsfeld. *de Confess. Sagar. memb. 2. concl. 7. dub. 1.*

§. XLII.

Nos autem hic subsistimus, ac operæ pretium consecu-

cutos arbitrabimur, si levi hoc specimine Inaugurali, non dicam tres cum Hippolito, sed etiam unum innocentem ab immerita pœna liberandi occasio præbita sit. Ambabus autem manibus largimur, potuisse hanc materiam, in praxi frequentem & utilem, plenius excuti: Verum sufficere existimavi hoc pro specimine Academico. Scio enim memet non integrum tractatum de indiciis promisisse, sed brevem consignationem *Indiciorum fallacium Magiæ*. Si Deus vires concesserit & valetudinem & uberiorem processuum Criminalium perlustrationem, justior meditatio forte emendabit, quæ nunc minus perpolita ac limata fluxerunt exproperante, ob penuriam temporis, calamo. Tibi interim Deus T. O. M. gratias ago habeoque maximas, quod hucusque ob infinitam tuam misericordiam me protexisti & auxilio tuo adjuvisti. Almæ Tuæ gratiæ etiam imposterum humillimè memet commendo.

MENDA nonnulla, quæ diligentiam nostram in speciminibus Typographicis perlustrandis effugerunt, hic annotare visum est: si quæ superstant alia, ea B. L. ipse delebit. *p. 6. lin. 4. lege* afferri. *p. 8. lin. 14. lege* aufugit. *lin. 27. lege* quod. *p. 12. lin. 5. lege* repræsentiren. *p. 14. lin. 3. lege* decessisse. *lin. 25.* præstigias. *p. 15. lin. 2. lege* fuliginosaque. *p. 17. lin. 20. lege* crederem *pro* suaderem. *p. 18. lin. 9.* strigibus. *p. 19. lin. 13.* referant. *lin. 28.* Peireskii. *p. 20. lin. 11.* elisérunt. *p. 22. lin. 22. lege* nullæ. *p. 25. lin. 4. lege* sanctimoniam. *lin. 7.* insimulati. Presbyteri, *lin. 8.* celebrarent, *19.* parallelismus. *lin. antep.* elisimus. *p. 25. lin. 24.* subscribere. *pag. 26. lin. 5.* aliis *p. 29. lin. 18.* suspicantur. *lin. 22. post frequentius lege* quam *quod pro & c. lin. 29. lege* illustrat. *p. 31. lin. 1.* morabar. *p. 32. lin. 23. lege* has. *p. 34. lin. 19. lege* nongentas nonaginta. *p. 35. lin. 2.* indifferentismum. *p. 37. lin. 3. post modo lege* fieri possit. *lin. 23. deleatur* modo. *ead. lin. lege* fatuus. *lin. 24. lege* cæmeteriis. *p. 39. lin. 4. lege* faunos. *lin. 5. lege* earum.